Digitized by Google

143 e Méd.

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT
900000102096

Donum auctoris.

GOZEWINI IANI LONCQ, Corn. Ian. Fil.,

ORATIO

DE

PATRIA MEDICINA, CUM SERVANDIS, TUM ETIAM TUENDIS, NEC MINUS AMPLIFICANDIS UNIVERSITATIBUS PUBLICI COMMODI CAUSA ET VINDICANDA ET VERO PERFICIENDA,

HABITA TRAIECTI AD RHENUM,

D. XXVI M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXIII,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM ITERUM DEPONERET.

BIBLIOTHEQUE DE L'UNIVERSITE DE GAND.

Digitized by Google

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE CURATORES, VIRI ILLUSTRISSIMI, SPECTATISSIMI!

QUI CURATORUM COLLEGIO AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

ARTIUM AC DOCTRINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI, COLLEGAE CONIUNCTISSIMI!

LECTORES ERUDITISSIMI!

QUI VEL PROVINCIAE VEL CIVITATI REGUNDAE VEL IURI TUENDO PRAËESTIS, MAGISTRATUS AMPLISSIMI, HONORATISSIMI!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES, VIRI PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM DISCIPLINARUMQUE DOCTORES, VIRI CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI!

CIVES ACADEMICI, BONARUM ARTIUM STUDIOSI, SPES PATRIAE, IUVENES ORNATISSIMI!

QUOTQUOT DENIQUE AD HANC SOLENNITATEM CONVENISTIS, CIVES, HOSPITES, CUIUSCUNQUE LOCI, ORDINIS AC DIGNITATIS, AUDITORES HUMANISSIMI, EXOPTATISSIMI!

Quemadmodum apud exteros, ita nostra quoque in patria insignis est cum in aliis rebus, tum in iis, quae luxuriam spectant, plerorumque civium progressio. Luxus autem, ut recte PLATO dixit, intemperantiam, intemperantia morbos parit. Quae cum ita sint, cumque et perpetua fere aëris inclementia, et noxia passim soli natura, et creberrimi animorum affectus, et alia multa nullo non die hominum sanitati minentur, ecquid, quaeso, prudentius ipsisque reipublicae rectoribus utilius quam curare, ut medici habeantur artis salutiferae vere periti? Habemus, Auditores, et per tria fere saecula habuimus semper. Quod cum maiorum debeatur sapientiae, qui Academiis condendis et alias aluerint disciplinas artesque ingenuas, et ipsam etiam medicinam vindicarint, nihil magis consentaneum videtur, quam maiorum instituta firmare. Nec tamen hac de re inter

Digitized by Google

omnes convenit. Quae paucis abhinc mensibus ad comitia Nederlandica lata fuit de rebus medicis ordinandis rogatio, longe alio nititur principio. Defendant qui possint. Equidem hac hora in contrariam partem disputabo. Dicam scilicet DE PATRIA MEDICINA, CUM SERVANDIS, TUM ETIAM TUENDIS, NEC MINUS AMPLIFICANDIS UNIVERSITATIBUS PUBLICI COMMODI CAUSA ET VINDICANDA ET VERO PERFICIENDA. Vos, Auditores, faciles mihi aures praebeatis, quaeque orationis elegantiae castitatique deficiant, medico condonetis, aliis studiis et negotiis a litteris humanioribus non alienato quidem, at avocato tamen, etiam atque etiam rogo!

An utilis est Medicina? An publici commodi causa vindicari meretur? Nonne medicis carere possumus? Quot, quaeso, funera quotannis lugemus, etiamsi doctissimi iidemque peritissimi medici omni ope atque opera enixi sint carissima capita servare? Quam multi valetudinarii semet ipsi curant, sive quiete et abstinentia, sive aqua, sive una alterave ex innumeris panaceis, quae nusquam non altisonis argumentis quotidie commendantur? Constet imo, salvos superesse, qui sine medicina mortui forent, nonne plures artis ineptiis intereunt, qui naturae relicti facile convaluissent? Equidem, Auditores, qui per triginta fere annos artem salutarem maxima cum fiducia non tantum exercui, sed etiam docui, habeo, quod blandimentis istis reponam.

Fieri subinde, in nostra etiam patria, ut male curati mortem obeant, qui meliore consilio servari potuissent, experientia doctus non est quod diffitear. Permultos vero, Deo favente, sanitati restitui, qui sine artis auxilio vel exstincti fuissent, vel, quod peius fortasse, ad extremum usque miseri, quemadmodum optimis omnis aevi AESCULAPII ministris, ita mihi quoque persuasissimum est. Nec protinus crimen artis est, ut recte CELSUS ait, si quod professoris sit. Est autem ars illa, lubens assentior, valde imperfecta. Multae sunt conditiones morbosae, quas neque tollere, neque vel emendare possumus, etiamsi mature, quod raro contingit, auxilium nostrum imploretur. Non paucae quoque, quibus in principio quidem artis peritus veluti frenos iniicere possit, quae vero ulterius progressae, quidquid moliatur artifex, effrenate cursum conficiunt et mortem adferunt certam. At dii boni, quam saepe tristis morborum eventus ipsis est aegrotantibus imputandus, vel male sedulis amicis aut cognatis! Absti-

Digitized by Google

nentia et quiete, verissimum est antiquitatis effatum, multi magnique morbi curantur. Aqua prudenter adhibita, quemadmodum in febribus, sic in aliis etiam affectibus interdum maxime salutaris est. Plures aegrotantes, nequaquam infitior, sanitatem recuperant arcanis assumtis, quibus ut Anglia, ita Nederlandia quoque abundat. Verum enim vero qui cibis abstinent et quiescunt, ubi alimentis opus est et exercitio, vel aliis etiam remediis, initiatis tantum cognitis; qui ad aquam confugiunt in conditionibus vel igne medicandis vel alio quolibet heroïco artis praesidio; qui circulatorum iactatione decepti gravioribus in morbis panchrestis, quae vocant, utuntur vel inertibus prorsus, vel, ut multa sunt, omnino venenatis, nae illi dementia sua malorum incremento viam faciunt et mortem praematuram sibimet ipsi consciscunt. Vitam enim praeter necessitatem in aleam dare, cuius, quaeso, nisi dementis est? Sit omnino dementis, inquiet quispiam, verum an minus periclitatur, qui sine ratione medico se committit legitimo titulo ad artem exercendam admisso? Minus sane, at periclitatur tamen. Nonne vero stultum est sine ratione agere? Quis est, qui nesciat, ne optimam quidem candidatorum probationem ad civium securitatem in omni casu sufficere? Doctus quis esse potest omniumque applausu summis in medicina honoribus a severis iudicibus ornatus, et nihilominus ad artem factitandam vix mediocriter aptus. Cur igitur tam incaute, tam inconsiderate plerique homines medicum adoptant? Quidni semper consilia sequuntur artis peritorum? Nec morum elegantia, nec habitus venustus, neque aura popularis eam probat solertiam, quae medicum facit. Et tamen illae sive dotes sive fortunae, mirabile dictu, vel cultis et eruditis imponunt. Medicum equidem cognovi adeo stupidum, ut insanire potius quam mente constare videretur. In ceteris adsentiebant omnes. In arte tamen salutari, o incomparabilis superstitio! de honoratiorum sententia collegis longe excellebat. Mira profecto res est, Auditores! Quemadmodum in aliis causis, quae sanitatem spectant, ita in medicis eligendis permulti homines vere caecutiunt, quamquam mortem reformidant omnes.

Quodsi igitur verum est, ut verum esse bona fide testantur periti, sola saepe aegrotantium culpa morbos etiam minus graves exitum habere fatalem; multos esse, in quibus vita magis periclitetur, si naturae relinquan-

Digitized by Google

tur, quam si diligenter a docto eodemque sagacissimo medico curentur; alios autem praesentissimo tantum auxilio veluti iugulari posse, sero depelli nescios et certo lethales: quo tandem iure contendas, medicos esse superfluos, nec reipublicae interesse vindicari medicinam?

Interest autem et alias ob causas. Nimirum non modo sanandis aut levandis, etiam praevertendis morbis insigniter medici prosunt. Non omnia sane, quae vitam et naturam humanam spectant, at multa tamen, ut indefessis aliorum laboribus, ita propria quoque observatione nobis cognita sunt. Conditiones novimus cum ad vitam sustentandam, tum ad sanitatem tuendam maxime necessarias, causas, quae prodesse, easque quae nocere possunt. Et hanc quidem scientiam eo referimus, ut singulis hominibus, iis certe, qui „medice" vivere velint, talia praescribamus, quibus semet ipsos et *εὐβίους* reddere queant, quodque omnes avent, *μακροβίους*; civitatis autem rectoribus et causas indicemus, sive in aëre, sive in solo, sive in alimentis, sive in aliis rebus positas, quae civium sanitati vel officiant vel officere certe possint, et remedia, quae publica auctoritate sancita noxam quam optime avertant.

Negari quidem nequit, Auditores, plures etiamnunc esse, qui, quasi CELSUM legissent, sanitatis causa nullis obligari se legibus sinant, quam tales, qui medicorum consilia sequantur. Verissimum item, praeclaram illam medicinae partem, quae publicam salutem spectat, apud Batavos minus adhuc coli quam passim apud exteros. At vero neque civium imprudentia, neque rectorum socordia quidquam de scientiae dignitate detrahi, vix est quod moneamus.

Reputantibus denique, quid Iurisprudentia Medicinae debeat, utpote quae sola crimina nonnulla probare eorumque sequelas diiudicare possit, aut omnia me fallunt, Auditores, aut vobis certe persuasum erit, nobilissimam illam artem, vitae humanae sospitam ac conservatricem, publici commodi causa etiam nostra in patria vindicandam esse.

Atque hoc quidem, de mea dumtaxat sententia, quam optime fiet cum servandis, tum etiam tuendis, quae hodie vigent, universitatibus. His enim aliisque sive pridem, sive nuper sublatis, per tria deinceps saecula non floruit tantum apud nostrates, sed insigniter increvit medicina. Doctores academici et ipsi artem feliciter exercuerunt, et omni tempore doctos

Digitized by Google

informarunt peritosque discipulos, et scriptis editis cunctas et singulas disciplinae partes, pro sua quisque ratione, et vindicarunt et vero provexerunt. Quod ut luculenter appareat, annalium memoriam replicemus.

Pulsa medii aevi barbarie, etiam ante conditam Academiam Lugduno-Batavam, celebres in nostra patria laudibusque dignissimi exstiterunt medici, sive Lovanii, sive Lutetiae Parisiorum, sive Bononiae aliisve Italiae locis informati. HOGERBEETSIUM [1]) appello, doctum et sagacem medicum Hornanum eundemque, raro sane exemplo, [2]) poëtam elegantem; SNOYUM [3]) Goudanum, quod rarius, etiam theologia delectantem, quem ERASMUS, cui medicinam adhibuisse fertur, arte doctum dixit in miraculo; [4]) DESSENIUM CRONENBURGIUM, [5]) Amstelodamensem, celeberrimi MATTHIOLI amicum, [6]) virum candidum et eruditum, PARACELSI sectatorum adversarium acerrimum, qui, Bononiâ redux, Groningae per novem deinceps annos artem salutarem cum factitavit, tum in schola Praediniana [7]) verisimiliter etiam docuit. [8]) Quemadmodum aliae civitates aliis, sic Harlemensis TEYLINGIO [9]) suo, Horna et Harlemum HADRIANO IUNIO gloriantur, de litteris et medicina meritissimo, cathedrae Leidensi, cui destinatus erat, morte praematura subrepto. [10]) Omnium vero aequalium facile princeps fuit PETRUS FORESTUS Alcmariensis. [11]) Hic enim, acutissimi vir ingenii, singulari doctrinae praestantia longoque artis usu medicus vere consummatus, cum factis, tum scriptis talem se praestitit, quem vix minori iure quam BOERHAAVIUM immortalem, Batavorum dicam HIPPOCRATEM. Quantum et ille Leidensi profuisset Academiae, si medicinam professoria dignitate docere voluisset! Sed abnuit conditionem Delphensibus suis totus addictus. [12])

Accepit eandem GERARDUS BONTIUS, [13]) vir eruditissimus, Patavii summos in medicina honores adeptus, qui Leidae salutiferam artem factitabat. Atque hic quidem primus fuit in nostra patria Medicinae Professor, qui, quamvis scripta non reliquerit, referente BOERHAAVIO, doctrinae gravitate, industria docendique facilitate ita excelluit, ut multos alliceret discipulos. At quanto celebrior fuit IOANNES HEURNIUS, [14]) magnus ille magni DURETI discipulus, Traiectinae civitatis, antequam Leidam migraret, decus et ornamentum! Quam eximiam eruditionem, quam subtile ingenium cuncta spirant eius opera! Quanta dicendi perspicuitas, qualis in studiis ardor,

Digitized by Google

quam mira laboris constantia! Maior fortasse in FORESTO fuit observandi diligentia, attamen hac etiam HEURNIUM excelluisse, cum alia probant, tum ea, quae filius annotavit de morbo gubernatoris Traiectini potione venenata ab Hispanis exhibita producto. Huius scilicet natura reliquos artis peritos fugerat omnes, ab HEURNIO vero, licet iuniori medico, statim dignoscebatur. [15])

Inter claros horum virorum discipulos et PAAWIUS [16]) commemorandus est, cum de aliis, tum inprimis de anatome et botanice optime meritus, et REGNERUS BONTIUS, [17]) laudatissimus FREDERICI HENRICI archiater, et vero OTHO HEURNIUS, Ioannis filius; [18]) qui, postquam septem et quod excurrit lustra medicinam e cathedra docuerat, GUILIELMUM STRATENUM imitatus, etiam in Academia Lugduno-Batava clinicam institutionem fundavit [19]) eandemque cum SCHREVELIO [20]) collega egregie vindicavit. STRATENUS [21]) vero, primus in hac Musarum sede Medicinae Professor, non patriae tantum, sed universae Europae facem praetulit. Patavina et Ticinensi fortasse exceptis, in nulla scilicet Academia ad ipsos aegrotantium lectulos medicina docebatur. [22]) STRATENUS, publico hac in urbe nosocomio praefectus, simulatque cathedram conscenderat, omnium primus practicam illam disciplinam et commendavit [23]) et vero instituit. Quod quam eximie fecerit, inter aequales testatus est ALBERTUS KYPERUS, [24]) iudex, ut videtur, idoneus. Decem tantum annos STRATENUS ille munere professorio functus est. Princeps enim Arausionensis, minime caecutiens ille, qui talem tantumque medicum sibi adsciscere cuperet, eum abduxit. Quod quamvis doluerit Traiectum, optimum tamen virûm colere perrexit eundemque et aliis de causis, [25]) et propter insignia in patriam medicinam merita, siquid video, colet in aeternum!

STRATENO successit DIEMERBROECKIUS, [26]) Leidensis Academiae praestantissimus alumnus. Successit autem, postquam Neomagi cum in aliis morbis, tum vero in pestilentia curanda singularem artis peritiam abunde probaverat. Vir erat vario litterarum disciplinarumque studio perquam excultus, qui, quod GRAEVIUS [27]) praedicavit, perspicuitate in docendo paucos pares habuit, superiorem vix quemquam. Atque hic quidem per quinque et viginti annos Academiae nostrae mirum quantum profuit, et scriptis etiam praeclaris posteritati egregie consuluit.

Digitized by Google

Longum sit, Auditores, omnes recensere, qui vel hic vel alibi de patria medicina bene meriti sunt, infinitum adeo, quid singuli praestiterint, indicare. Quod ceterum cum historici, non oratoris sit, attingam tantum quosdam e praecipuis. Itaque WINSEMIUM [28]) recordemur, PETRI PAAWII discipulum, in Academia Franequerana professorem egregium, LINDENII celeberrimi magistrum praeclarum; DEUSINGIUM, [29]) in litteris, etiam Arabicis, non minus quam in arte salutari versatum, qui primum Harderovici, deinde Groningae medicinam quam optime docuit multisque scriptis illustravit; STALPARTIOS A WIELIO, [30]) medicos Haganos, cum artis usu, tum anatomes, etiam pathologicae, studio non exiguas laudes consecutos; GERARDUM BLASIUM [31]) STEPHANUMque BLANCARDUM [32]) celebres Amstelodamensium medicos eosdemque scriptores praeclaros; IOANNEM BEVEROVICIUM, [33]) quo Dordraceni gloriantur, virum litteratum, artis salutiferae peritissimum, cuius opera cum aequalibus, tum posteris multum profuerunt. At TULPIUS [34]) etiam laudandus est, ut aliorum, ita HEURNII quoque discipulus, in metropoli, raro quidem exemplo, consul anatomicus idemque medicus callidissimus; LINDENIUS [35]) et ALMELOVEENIUS, [36]) litterarum non minus quam medicinae periti, ambo scriptores eruditi, quorum hic Harderovicenam, ille vero primum Franequeranam, deinde Leidensem Academiam egregie ornavit; MOORIUS [37]) item, de cerebri morbis optime meritus, trium patriae nostrae universitatum alumnus, qui tum Groningae, tum Harderovici magno cum applausu medicinam docuit. Nec sane VALLANUS [38]) et LEUSDENUS [39]) praetermittendi sunt; nec SCHACHTIUS [40]) et WACHENDORFFIUS, [41]) nec LUCHTMANSIUS [42]) et NAHUSIUS, [43]) qui cum Academiae, tum etiam civitati Traiectinae honori fuerunt et emolumento. An BOERHAAVIUM [44]) excitem, virum immortalem? An GAUBIUM, [45]) pathologum meritissimum? An GORTEROS, [46]) et eximios doctores academicos, et vero tantae celebritatis AESCULAPII ministros, ut ELIZABETHA Russicorum imperatrix amplis eos conditionibus sibi medicos adsciverit? At Batavi nomine indignus est, qui talium luminum obliviscitur. Quot, quaeso, horum virorum discipuli cum artis salutiferae honorem, tum vero patriae gloriam scriptis et operibus vindicarunt! Ut alios mittam, quantum SWIETENIUS, [47]) quantum etiam HAENIUS [48]) cum in Nederlandia, tum quoque in Austria contulit ad medicinam in salutem generis humani provehendam! KLOEK-

Digitized by Google

HOFIUS [49]) et DEGNERUS, [50]) GRASHUSIUS [51]) et MICHELLIUS, [52]) VEIRACIUS [53]) et BICKERUS, [54]) quam egregii medici, quam docti scriptores!

Recentioris item memoriae GEUNSIUS [55]) est, eximius Academiae Groninganae alumnus, ut primum Harderovicenae, sic deinde Traiectinae per longam annorum seriem decus et ornamentum. Quae tandem laudatio tanto viro digna sit? Quae PARADISIO, [56]) quo vel acutiorem vel elegantiorem Leidensis Academia, me quidem iudice, vix habuit ullum? Quae, quaeso, BRUGMANSIO, [57]) facundia non minus et iudicandi solertia, quam scientiae varietate praeclaro? Quae denique THUESSINKIO, [58]) quo gloriabitur Groninga, dum ingenio doctrinaeque laus constabit et honos? Quantum ONTYDIUS, [59]) et MOLLIUS, [60]) et BUCHNERUS, [61]) quantum MACQUELINUS, [62]) THYSSENUS, [63]) NUMANNUS, [64]) ALEXANDER [65]) cum arte factitanda, tum scriptis edendis, hi quoque medicis informandis patriae nostrae profuerunt! Quid dicam de WOLTERBEEKIO, [66]) eruditissimo peritissimoque GEUNSII discipulo? Quid de VOSMAERIO, [67]) viro egregio, a MULDERO nostro pro meritis laudato? Quid tandem de FREMERYO [68]) deque SUERMANNIS, [69]) patre et filio? Hoc unum, Auditores: quae huic Academiae tanto honori, quae civitati tam salutaris fuit artis, quam exercebant, doctrinaeque praestantia patriis debetur universitatibus.

At non medicis dumtaxat, etiam anatomicis eminuit haec terra Batavorum, qui, quid academica valeat institutio, cum aequalibus, tum posteris luculenter probarunt, quorumque haud pauci de physiologicis etiam et pathologicis quaestionibus bene meruerunt. PAAWIUM cogitemus eiusque discipulum FALCOBURGIUM, [70]) quorum ille summam artis peritiam admirabili habebat facundia coniunctam, hic vero mortuis non tantum, sed vivis etiam secandis adeo praecelluisse videtur, ut chirurgiae professoris titulo primus omnium ornatus sit. STRATENUM et DIEMERBROECKIUM, qui cum alias, ut vidimus, disciplinae partes, tum etiam anatomen in hac Academia plene cumulateque docuerunt. Ad HORNIUM [71]) item provoco, quo Leida gloriatur; ad RUYSCHIUM [72]) et SWAMMERDAMMUM, [73]) duumviros praeclaros, in Horniana maxime schola informatos; ad GRAAFIUM [74]) et HOBOKENUM, [75]) de variis anatomes partibus quam optime meritos. DRELINCURTIUM [76]) memoro, magni BOERHAAVII praeceptorem, NUCKIUM [77]) et BIDLOUM, [78]) singulos et scrutatores praeclaros, et doctores egregios,

Digitized by Google

et scriptores elegantes. Taceo ceteros, Auditores, at RAVIUS [79]) et ALBINI; [80]) at SANDIFORTII [81]) et CAMPERUS; [82]) at BONNIUS [83]) et BLEULANDUS; [84]) at VROLIKIUS [85]) et BAKKERUS [86]) et vero KOLKIUS noster, quanti, quaeso, viri! Quam vellem, quid singuli praestiterint, enucleate referre, laudibus eos extollere, gloriae sempiternae iterum iterumque commendare! Vetat autem temporis, quo concludor, angustia. Sufficiat igitur in memoriam revocasse, tanta horum virorum merita fuisse cum in alias medicinae partes, tum vero praesertim in anatomicam disciplinam, ut ubicunque terrarum ab omnibus artis peritis lubenter agnoscantur. Missos facio chirurgos, missos etiam LUCINAE ministros. [87]) Satis enim superque dixisse mihi videor, ut intelligatis, per tria deinceps saecula patrias Academias ad patriam medicinam vindicandam permultum contulisse.

Quod etiamsi dare cogantur, erunt fortasse, qui rogent, nonne etiam sine Academiis medicina vindicari possit. Attamen institutione opus est. Itaque vel ad privatos confugiendum erit medicos, vel ad Scholam sive Clinicam, quam vocant, sive aliam publica auctoritate constitutam. At vero tantus est disciplinae, qua medicus indiget, ambitus, ut nemo quisquam detur, qui solus ad docendum sufficiat. Neque binos facile magistros invenies, quorum alter in physicis disciplinis, alter in medicis ita versatus sit, ut cunctas et singulas plene et accurate tradere possit. Imo vero, etiamsi plurium conspiratione et consortio dividantur docendi partes, quandoquidem sine hortis et laboratoriis, vario supellectili instructis, sine museis aliisque studiorum praesidiis, quae privati homines sibi comparare nequeunt, medici rite informari non possunt, privata illa institutio manca erit et valde imperfecta. Idem valet in Scholas, quibus propter aerarii angustiam sumtus necessarii suppeditari nequeunt. Nec tamen dubitandum, Auditores, quin, deficiente institutione academica, haud pauci iuvenes, artem salutarem addiscere cupientes, vel medicis se privatis in disciplinam tradituri forent, vel nomen daturi Scholis istiusmodi imperfectis. Quod si quis parvi ducat, opinatus scilicet, nihil inde rempublicam capere detrimenti posse, modo severa iuratorum probatio stupidos arceat et imperitos, is in gravissimo, me quidem iudice, versatur errore. Stupidi, non est quod dubitemus, arcebuntur, at plures admittentur mediocriter docti, ad patriam medicinam vindicandam multo minus idonei quam

Digitized by Google

universitatum alumni. Quantacunque enim religione probentur candidati, ne civitatis incommodo deficiant medici, modum exigendae doctrinae communis definiet examinandorum peritia.

Longe aliter statuendum est de Scholis liberaliter instructis. Quae siquidem doctores habeant nec pauciores quam Academiae, nec minus egregios, et vero paria studiorum adminicula, multis certe nominibus universitatibus aequiparandae sunt. At academica institutio ad omnes explicandas ingenii dotes, ad animum excolendum, ad hominem informandum vere humanum, a praeiudicatis opinionibus liberum, constantem, modestum dici vix potest, quanto magis accommodata sit quam alia quaecunque disciplina. In universitate, qualem maiores nostri variis in patriae locis condiderunt, non universae quidem, quod mala quis vocis interpretatione suspicari possit, at multae tamen traduntur eaeque diversissimae doctrinae. Rara utique exempla sunt civium academicorum, qui praecipuas deinceps consectantur singulorum ordinum institutiones. Pauci modo praeter scholas lege praescriptas uni de ceteris tam assidue intersunt eique tantum operae tribuunt, quasi disciplina ibi tradita ad proxima vitae munia necessaria esset. At plures incredibili flagrantes discendi amore praeter eam, in qua habitare student, varias solent gustare disciplinas. Omnibus insuper est consuetudo cum adolescentibus diverso studiorum generi destinatis. Qua quidem consuetudine efficitur, ut de nullis non rebus sive disserendo sive confabulando multarum sibi notitiam parent, quae ceteroquin ipsis incognitae mansissent. Quod autem pluris est, diversa ratione tum ingenium acuitur, tum animus inflammatur. Exardescit studium veri, reprimitur arrogantia, praecavetur iniquitas, excoluntur perpoliunturque mores. Quod quanti medicis momenti sit, qui varii generis hominibus adesse, qui nullius non indolis aegrotantibus curam adhibere debeant, omnes norunt, qui quid urbanitas et modestia, quid candor et aequabilitas, quid constantia et fortitudo cum ad favorem, tum ad fiduciam valeant, observando experiundoque didicerint ipsi. At vero civitati vel maxime, tum etiam arti, quam exerceant, mirum quantum prosit, quod ad omnem humanitatem exculti, quod ingenui, quod stabiles et firmi sint, quicunque medicinam factitare cupiant. Quidquid igitur alia praestiterint instituta, quandoquidem Academiae honestioribus informandis inprimis accommodatae

Digitized by Google

sunt, nisi prorsus abiiciamus HEUSDII memoriam, medicorum etiam causa vindicari debent et, quantum opus est, augeri.

Multi sunt in patria nostra, qui sordidae parsimoniae causa pro tribus, quae hodieque florent, universitatibus unam modo servandam esse censeant eamque, si res ita ferat, nonnihil amplificandam. Alii, liberales illi, quos inter magna doctrinae laude conspicui, quandoquidem nulla spes ipsis esse videtur fore, ut singulae, quae exstant, Academiae cum numero doctorum, tum etiam variis studiorum praesidiis ita augeantur, ut suum ipsae vindicare honorem, civitatis promovere salutem et vero doctrinas artesque ingenuas magis magisque provehere possint, tres illas Musarum sedes coniungendas esse existimant et in unum patriae locum veluti cogendas. Equidem, Auditores, quamvis haud diffitear, liberalium illud consilium habere quo sese commendet, pluribus tamen de causis reiiciendum esse arbitror. Missas facio ceteras, ab argumento nostro magis minusve alienas. Hoc unum contendo, nisi plures habeantur Academiae, medicam institutionem longe minus fructuosam fore quam in praesenti rerum conditione. Est haec nimirum huius institutionis ratio, ut, increscente discipulorum numero, decrescant institutionis fructus. Metaphysicis, historicis, politicis scholis, ut alias taceam, sive decem intersint, sive centum, sive plures etiam auditores, ad singulorum progressus nihil facit. Alius longe naturae et medicae sunt quaeque ad medicinam praeparant, latiori vocis significatione physicae nuncupatae. In his enim non tantum audire, sed etiam intueri, sed observare, non assidere modo, sed agere, sed operari debent discipuli. Quod cum et spatium requirat et variam supellectilem, apparatus, instrumenta, naturae producta, quo maior studiosorum numerus, eo minor erit opportunitas discendi. At huic incommodo de reformatorum sententia subveniri poterit. Quemadmodum auditoria, sic etiam laboratoria et amphitheatra et alia quaecunque loca institutioni destinata, sic apparatus et adminicula, sic observandae et varie tractandae materies, fossilia, plantae, animalia discentium numero accommodari possunt. Possunt, Auditores; de multis ipse affirmo. Sed aliud quid est posse, aliud futurum esse. Confidant reformatores, tantam in posterum fore publicam institutionem curantium liberalitatem, ut desideratis continuo prospiciant, equidem non confido adeoque certa pro incertis esse sumenda statuo. Quod

Digitized by Google

autem in aliis institutionis partibus non exspectabile quidem, attamen cogitabile duco, in clinica, quam vocant, ne cogitari quidem potest. Erunt fortasse, qui multiplicandis clinicis, qui seiungendis et vero distribuendis medicinae studiosis effici posse censeant, ut singulis exercitationibus non plures intersint, quam spatia locorum et vero cum observandi, tum examinandi et opem ferendi necessitas sinant. At primum ridiculum est admittere, tot clinica sive Leidae sive Traiecti haberi posse, quot ad ordinem modo propositum omnino postnlarentur. Tum vero, Auditores, aut fallor equidem, aut distributio ista libertati foret academicae contraria, quippe cui hoc proprium sit, ut discant qui velint, quae velint, a quibus velint. Ponamus autem, vastis exstructis in alterutra civitate nosocomiis iisque mira aegrotantium caterva repletis, ita rem ordinatam esse, ut libertatis negligentiores diversorum clinicorum institutionibus alternatim utantur studiosi. Quid accidet? Siquando singuli, quos sequantur, clinici vel ex eadem Schola prodierint, vel certe ita inter se conveniant, ut iisdem morbis eandem curam adhibeant, fortes et constantes informabuntur medici. At vae illis, si tanta sit professorum discrepantia, ut, quod CAIUS verum habeat, a TITIO negetur, quod hic affirmet, ille dubitet. Sceptici fient, in arte salutari longe magis quam in theologia periculosi [88]). Principiis carentes in aegris curandis semper haesitabunt, in gravioribus autem morbis animo nunc huc, nunc illuc fluctuantes, vel turpi negligentia vel intempestiva et praepostera audacia non raro mortem properabunt, ipsique sui fiducia destituti vitam degent miserrimam. Est sane Medicina ab evidentia mathematica quam longissime remota. Diversitas opinionum, dissensiones et controversiae diversos inter artis ministros vulgares potius quam rarae sunt. Quae cum tirones in dubitandi periculum adducant, multiplicatam illam institutionem vehementer equidem improbo. Quidquid igitur contra dici possit, etiamsi nihil aliud esset, est autem multum, quod vel suaderet illud vel etiam postularet, medicinae vindicandae causa singulas servandas esse Academias, magna cum asseveratione contendo.

Verum enim vero non tantum servandae sunt, sed etiam tuendae. Quod nisi fiat, servari prorsus nequeunt. Neque eam modo tutelam specto, quae donationibus continetur et pecunia subministranda, iustissimoque professorum delectu, nulliusque necessitatis cura negligenda, sed talem vel

Digitized by Google

maxime, qua studiosa iuventus cum alliciatur, tum invitetur, omissis quibus repellatur. Leges obligatoriae, quibus ad academicam disciplinam cogantur medici futuri, libertatis principiis adversari videntur [89]). Neque autem iis opus est, Auditores. Dummodo vindicentur Academiarum iura et privilegia, dummodo abstineatur ab iis, quae novi homines machinantur, nullum dubium. quin et florere et patriae medicinae insigniter prodesse pergant. Quodsi vero contra maiorum voluntatem doctoris titulus ita infringatur, ut ad artem factitandam non amplius sufficiat; si vel ii, qui summis in medicina honoribus ornati sunt, quo licentiam acquirant opem ferendi, iuratorum probationi submittantur; aliis autem ad longe minorem humanitatis cultum informatis eadem tribuantur iura, quae doctoribus adhuc competunt, aut nihil video, Auditores, aut apud nostrates actum est de medicina. Corruet ordo medicorum, tabescet etiam physicorum, disrumpentur universitates, frigescent studia quaevis, retrolabetur ars salutaris, evanescet, quam a maioribus accepimus, eruditionis humanitatisque fama.

At enimvero, sic mihi quispiam occurrat, aliorum quam docentium probatio civium securitati perquam necessaria habetur. Si nulli, nisi doctores, salutiferam artem exercerent, complurium incolae pagorum, Bunschotani, Camericenses, alii, medicorum auxilio destituti, magno quidem aerarii damno, cuncti deinceps emorituri forent. Itaque praeter honoratiores aliis etiam medicis opus est, inferioris ordinis illis, qui, quod ceteri recusant, ruri degere velint. Qui vero rusticis medicinam adhibere possunt, possunt et optimatibus, ut igitur consequens esse videatur, quibus potestatem feceris ruri medicinam factitandi, iisdem et in urbibus eandem concedere licentiam. Consequens est, Auditores, nequaquam diffiteor; at restringere licentiam eorum, a quibus minorem ingenii cultum exegeris, quam ab aliis postularis, neque iniquum et vero propter contrarii consequentias summe necessarium. Egomet ipse, longo rerum usu quid verum sit in eiusmodi quaestionibus edoctus, iis adstipulor, qui solos medicinae doctores ad artem salutarem factitandam in patria nostra haud sufficere contendant. At eo libentius legem acciperem, qua summos in medicina honores antiquo more cuncti petere iubeantur, qui AESCULAPII sacerdotibus accenseri cupiant, quo magis persuasum habeo, nisi repudietur, quam in exordio commemo-

Digitized by Google

ravi, rogatio, pessumdatum iri patriam medicinam et nomini Batavo dedecus et ignominiam inustum.

Quod autem attinet ad probationem eorum, qui summos in medicina honores consecuti fuerint, quam quidem probationem artis peritis mandare volunt quotannis undecunque eligendis, supervacaneam eam et prorsus reiiciendam duco. Conquesti sunt medici, vel arrogantes illi, vel olim, ut suspicor, Deae Ignaviae ministri, de disquisitionum academicarum levitate. Contendunt et alii, morum et doctrinae laude praeclari, magistros etiam optimos, in discipulos paulo indulgentiores esse, quosque alii verisimiliter dimitterent, amore ductos et misericordia, subinde quidem admittere. Leves esse disquisitiones nostras, indignabundus nego. Humanitati vero plus aliquando quam iustitiae tributum esse, de mea quoque sententia verissimum est habendum. Atque haec quidem causa fuit, cur ipse, quum florentis aetatis essem, ad omnem omnino probationem collegia peritorum non academica professorum ordinibus anteponenda fore censuerim. Non amplius censeo, Auditores! Primum experiundo cognovi, laudatam illam iuratorum probationem, qualis apud exteros habetur, haud raro plus videri quam esse. Saepius scilicet ignorantiae causa viros repellere debuimus, a iuratis in Germania paulo ante probatos. Deinde, propter opinionum diversitatem cum in iis, quae scientiam spectant, tum vero maxime circa artis praecepta, non vanus sane metus invasit, ne, mutata probandi ratione, pluries iniusta ferrentur iudicia. Magistris praeterea fidem habere in ceteris, ut volunt, in artis vero peritia probanda non habere, quid aliud sit quam inconsequentiam et iniquitatem tueri, nequaquam equidem intelligo. Accedit, quod in Belgio iuratorum illam probationem studiis academicis vehementer nocuisse, diserte declaraverint idonei harum rerum iudices. [90]). Quae cum ita sint, aut fallor equidem, aut institutum non necessarium, quod Belgae respuunt, quod Academiarum imminueret aúctoritatem, quod discipulos a magistris averteret, quod studiis noceret, quidquid moliantur ambitiosi, declinari debet et in praesentiarum certe reiici. Multum quidem abest, Auditores, ut in academicis disquisitionibus nihil quidquam emendandum esse putem. Sane quam desiderantur nonnulla. Quae vero desiderantur, illibatis Academiarum iuribus, vel solo Regis iussu facile possunt expleri. Summum est curare, ne iuvenes in-

Digitized by Google

culti, disciplinarum studiis parum apti civibus academicis adscribantur. Quod si factum fuerit, mutatis mutandis, academica medicorum examinatio tantam civibus securitatem promittet, quantam ulla probatio possit.

Superest, ut amplificationem universitatum commendem ad vindicandam et vero perficiendam medicinam in patria nostra perquam necessariam. Non talem volo, qua vel duplicando vel etiam triplicando docentium numero, Germanorum aliorumque ad exemplum, una modo singulis committatur disciplina. Hoc enim cum ad pia vota refero de perfecta universitatis specie somniantium, tum vero minoris mihi frugis fore videtur, quam vulgo quidem putatur. Haud sane infitior, in Academia tam ample constituta singulis disciplinis plus operae tribui posse quam ubi diversa docendi necessitate singuli professores obruti sunt; at vero nec constat, tributum iri, nec facile negaveris, etiam obrutos illos duplicata tanquam industria tantum saepe praestitisse, quantum alii praestent minus negotiosi. Quid quod discentium interesse possit, ut plures disciplinae ab uno eodemque praeceptore tradantur. Sapienter, ut hoc utar, clinices professori cum therapia specialis demandatur, tum etiam medicaminum virtutis exponendae provincia. Haec enim et illa, quae salutarem ipsam artem spectant, si diversis committuntur, magnus omnino metus est, ne discrepantibus opinionibus ita confundantur studiosi, clinicam ut institutionem aut non intelligant aut parvi ducant, certissimo civitatis detrimento. Reputanti vero, quantos, ut ceterae, sic medicae quoque disciplinae hoc maxime saeculo progressus fecerint, quibus nimirum factum sit, ut et histologia et pathologica, quae dicitur, anatome, et ophthalmologia et alia tradi debeant, de quibus in Regio decreto, quod institutionis superioris sive fundamentum sive normam continet, nihil prorsus praescriptum est, augendum esse docentium numerum, nemini non perspicuum erit.

Maioris autem necessitatis cum eorum est augmentum, quibus anatomes indigent et physiologiae professores, tum etiam pathologicae et vero clinicae institutionis apparatus et materiae. Accurata corporis humani notitia totius medicinae quasi fundamentum est. Itaque hominibus opus est cum vivis, tum etiam mortuis, quos perscrutari possint medicinae studiosi. Cadaverum eheu, talium certe, quae studiis inservire possint anatomicis, tanta patriis in Academiis est penuria, nihil ut antiquius esse debeat quam

3

Digitized by Google

huic incommodo prospicere. Quod etsi magnis apud nostrates, quibus iusta veneratio mortuorum esse solet, ut olim, ita nunc etiam prematur difficultatibus, amplificandis tamen nosocomiis, mutanda humationis norma, gratuito ruris incolarum lethali morbo laborantium hospitio, plurium Academiae bene volentium conspiratione cum hic, tum alibi fieri posse, non est quod dubitemus.

At physiologicis etiam opus est laboratoriis, hodiernae disciplinae rationi accommodatis. Quae habemus, Auditores, quemadmodum institutioni, sic quoque scientiae provehendae mirum quantum profuerint. Tanta vero desiderantur, ut explere lacunas vel potius Goettingensium et Heidelbergensium exempla sequi, ceteros superantium omnes, ad patriae disciplinae vindicandum honorem admodum necessarium sit.

Quid tandem de nosocomiis dicam? Ubi angusta sunt et male constructa, ubi minor recipitur aegrotantium copia, quam, incolarum habita ratione, recipi possit, ampliora debent aedificari et liberaliter instrui, facili dato pauperibus aditu talique cum medicis eorum curam gerentibus conventione facta, qua clinica, quam vocant, institutio quam optime promoveatur. Qui, quae hactenus in Academiis nostris fuerunt instituta, medicis practicis informandis destinata, vel parvi ducunt vel nullius fere momenti, aut ea non cognoscunt, aut inepti sunt harum rerum iudices, aut consulto cogitateque veritatem obscurant. Ultraiecti nimirum, ut exemplum afferam, computatis in nosocomio decumbentibus aegris iisque, qui consultandi causa alternis diebus ibidem versantur, bis mille et quod excedit quotannis ad clinicas exercitationes inserviunt. Quibus quidem exercitationibus qui sedulo intersunt medicinae studiosi, intersunt autem per integrum biennium omnes, ea modo gaudeant ingenii felicitate, sine qua nemo quisquam vero nomine medicus esse possit, ita informantur, ut, spatiis academicis decursis, ad artem salutarem suo Marte factitandam accedant omnino parati. Nihilominus, Auditores, permulta desiderantur. Nosocomium, indefessa licet administrantium cura probabili munditie nitens aptaque et eleganti fere supellectili instructum, tam parvum est, tam male constitutum aegrisque curandis tam parum accommodatum, ut novum exstrui debeat, quod cum architecturae, tum etiam hygieines et vero therapeutices principiis apprime conveniat. At non satis factum fuerit, nisi

Digitized by Google

curetur, ut novo aedificio plures omni tempore excipiantur diversi generis aegrotantes, quam in vetusto vulgo quidem recubant. Nimirum, etiamsi sufficere possit, quem adhuc habuimus, numerus chronicis laborantium morbis, typho tantum excepto, indigemus omnino acutis. Cui quidem incommodo, de mea certe sententia, facile subveniri poterit, ita mutanda norma medicis praescripta pauperes curantibus, ut plures in nosocomium dimittere teneantur.

Atque hac adeo vel alia, si res ita ferat, ratione cum nostrae, tum ceterarum universitatum desideriis explendis, quam optime non tantum vindicabitur patria medicina, sed magis etiam magisque perficietur, in perpetuam, dum in his terris morabitur, generis humani salutem.

Magistratum academicum depondituro nihil mihi prius, nihil antiquius esse potest quam ut Deo gratias agam, quas ago habeoque quam maximas, pro beneficiis per totum hunc annum in me collatis. Valetudinis etenim prosperitate, curatorum benevolentia, collegarum favore, studiosae denique iuventutis observantia ita sublevata sunt gravissimi muneris officia, ut praeter eam, quae medico negotioso temporis iactura continetur, nullam mihi prorsus attulerint molestiam.

Reliquum est, ut de rerum academicarum statu referam atque enarrem, quae, me Rectore, vel prospera vel adversa huic Musarum sedi acciderint.

Curatores, viros amplissimos, uno BAVIO honoratissimo excepto, salvos et incolumes esse, vehementer gaudemus. Pergite, viri gravissimi, qua soletis, prudentia nostris et vero patriae rebus consulere. Datores estote bonorum, malorum averrunci. Vobis ipsis, etiam aegrotanti collegae, optima quaevis apprecamur.

In vestrum ordinem oculos convertens, collegae coniunctissimi, non possum non continuo cladem cogitare, quam inexorabile fatum vel potius certus naturae cursus et vero veneranda Dei voluntas nobis attulit. Duumviri vita cesserunt, quos magni fecimus omnes, quorumque memoriam nec mihi, nec vobis ulla dies delebit.

Et primo quidem KOLKIUS [91]) memorandus est, candidus ille, bonitate affluens ac concinnus amicis, cuius vultus serenus adhuc oculis nostris

inhaeret, cuius vocem, magnam, remissam, affectuum varietati congruam, etiamnunc audire nobis videmur. Quanta fuit in illo sagacitas, quam celeres ingenii motus, quis ardor, quae perseverantia! Non mirum profecto, talem tantumque virum cum Academiae nostrae, tum etiam medicis disciplinis et vero patriae universae plurimum profuisse. Quod cum idonei harum rerum iudices [92]) in laudationibus, quas omnes, credo, legistis, plene cumulateque probaverint, equidem, ultimus parentare coactus, paucis rem absolvam.

Bleulandi successor anatomen docuit et physiologiam, et ita quidem docuit, ut multum inde discipuli cum ad ingenii cultum, tum ad naturae humanae scientiam et vero ad artis exercitium perceperint fructum. Nimirum haec erat eius institutionis ratio, ut in organismi compositione demonstranda nunquam non ad partium usum animum adverteret, ut in disciplinis sibi mandatis principia cum ipse quaereret, tum etiam discipulis indicaret, quibus artis exercitium niti debeat, ut theoriam, quam vocant, cum praxi copulare studeret. Quod non ita quis accipiat, quasi vel sola vel inprimis dumtaxat ea tractaret, quibus cum morbis eorumque curatione arctior intercedit necessitudo. Omnem enim corporis nostri fabricam exponere, quantumque in hac disciplinae infantia fieri queat, totam naturam humanam explanare solebat. Quidquid vero eiusmodi esset, ut usum manifestum vel haberet vel habere certe videretur, id avide tanquam arripiebat et impetu quodam discipulis non tradebat, sed inculcabat. Qua quidem in re quamvis ingenio subinde nimium indulsisse videatur, quemadmodum in aliis multis, vere excelluit. Postquam Groningae summis in medicina honoribus ornatus erat [93]), Amstelodami [94]) per integrum quinquennium in nosocomio suburbano non tantum artem factitavit, sed etiam studiis operam tribuit, cum aliis, tum inprimis anatomicis, et ita quidem, ut non bakkerum, optimum magistrum, modo, sed ruyschium ipsum et albinum aemulari videretur. Atque haec plane singularis ad futuram professionem veluti praeparatio, quemadmodum alios, ita hunc etiam fructum tulit, ut Museum pathologicum conficere coeperit, quo vel elegantius vel morbis illustrandis accommodatius nihil prorsus excogitari possit. Quod quidem Museum sensim sensimque auctum et amplificatum tantam ubicunque nactum est famae celebritatem, ut magnus omnino me-

Digitized by Google

tus sit, ne propediem auferant exteri, quod dudum fortunatis inviderunt Traiectinis. [95]) Qualem autem in privato, talem etiam in publico Museo, quod vulgo Bleulandinum dicitur, ornando septem fere lustra posuit industriam. Utrumque sane praeclarum est artificii, nec minus ingenii Kolkiani monumentum. Scalpellis instructus et siphone vasis implendis destinato, tum etiam microscopio, cuius usu diligenti mirum quantum et ille praestiterit, his igitur instructus multa illustravit imperfecte cognita, nec pauca sane nova detexit, ab aequis et peritis iudicibus maximi aestimata. Ineptum sit, Auditores, de singulis dicere. Hoc unum mihi detis, ut declarem, de medulla, quae nomen a spina dorsi habet, talia KOLKIUM nostrum docuisse, quorum nullius unquam saeculi posteritas immemor esse possit. Causarum et effectuum nexus finis erat bonorum, quem in omni fere disquisitione attingere conabatur. Accidit quidem interdum, ut ingenii celeritate deceptus, ut ἐνθουσιασμῷ sibi proprio praestrictus in errorem raperetur. Universe vero tam acute cernebat, tam recte iudicabat, ut ad nexum, quem quaereret, illustrandum permultum eum contulisse, nemo facile negaverit.

Quid denique dicam de laboribus indefessis, quibus mente captis in patria nostra prodesse, quibus ipsam alienationis indolem in salutem generis humani declarare studuit? Tam multa fecit, ut plura facere nemo mortalium possit. PINELLII [96]) monitis excitata primum Gallia, deinde Anglia et Germania hoc ipso saeculo nosocomia condiderant miseris illis rationis usu carentibus accommodata. Batavi paullo tardiores acquiescebant in re constituta. Quos sibimet ipsis nocituros fore putabant, eos in angustis cavernis, in obscuris carceribus secludebant, de curandis iis ne cogitabant quidem. Prodit KOLKIUS. Indignatur, queritur, monet, clamitat, persuadet, convincit. Cedit humanitati barbaries. Excitantur optimates, rei publicae rectores, Regis administri. Urget ipse Rex. Rogantur et feruntur leges ad rem ordinandam necessariae. Emendantur cuncta. Pro cavernis exstruuntur valetudinaria, primum Traiecti, deinde alibi. Regitur cura. Sanantur multi. Gaudet Princeps. Gloriatur patria. Admirantur exteri. Annuit Deus immortalis! Quid plura? Qui talia condidit, ipse sibi monumentum paravit aere perennius. Requiescat in pace!

Quam diversus a KOLKIO VINKIUS [97]) erat, doctus ille theologus, eccle-

Digitized by Google

siae reformatae vindex ac patronus! Non mobilis, ut ille, sed tranquillus; non alacer, sed sedatus; non hilaris, sed adductus. Nec minus tamen acutus et perspicax et laboriosus, et vero prudens et aequus, pius ac benevolus. Amstelodami natus et eruditus, primum in illustri, quod metropolin ornat, Athenaeo litteris cum graecis latinisque, tum etiam orientalibus operam dedit, in his quidem WILMETO, in illis vero LENNEPIO praesertim usus magistro. Deinde theologiae causa huius Academiae civibus adscriptus, Heringana maxime disciplina sacris initiatus et ad antistitis munus rite praeparatus est. Quo quum duobus in pagis Traiectinis [98]) omni, qua posset, religione perfunctus esset, primum Alcmariae, deinde in hac ipsa civitate, septem scilicet annos in singulis, coetui reformato disertus et vero fidissimus divinorum fuit oraculorum interpres. Anno huius saeculi tricesimo sexto, HERINGA, viro clarissimo, rude donato, nemine non suffragante, Theologiae Professor creatus est. Quam quidem provinciam, de suis ipse viribus diffidens, haud sine haesitatione suscepit, susceptam autem, valetudinis licet infirmitate nonnunquam impeditus, quinque et quod excurrit lustra vere ornavit. Atque haec quidem de externis. Interiorum expositionem a medico theologicis in causis non admodum versato vix ac ne vix quidem exspectaveritis, Auditores! De libris, quos edidit VINKIUS noster, cum eruditis, tum popularibus, ad communem omnium captum accommodatis, TER HAARIUS aestumatissimus concise nuper, nec minus ornate scripsit. [99]) Scripsit etiam de loco, maximam partem Heringano, quem inter theologos stabiliter occupavit. Laudavit amabilem ipsius tolerantiam atque moderationem, acerrima theologorum pugna nunquam aut vix unquam perturbatam. Quam quidem ob animi temperiem ecclesiae reformatae non malo, sed potius emolumento salutique fuisse virum, quem elugemus, extrema fugientem, augurante TER HAARIO nostro, posteri iudicabunt. Non est, quod dissentiam, Auditores! Imo vero hoc addere ausim: siquando deferbuerit ira, qua mentis praestringitur acies; ubi placato, quo multi flagrant, adversariorum odio; ubi compositis igitur affectibus, de solis rebus, non amplius de rerum defensoribus disputare coeperint, idque non animose, sed sedate; non e praeiudicatis, sed libere; non confuse, sed ordinate atque acute, maior etiam quam in praesentiarum Vinkianae disciplinae tribui poterit auctoritas. Ego certe,

Digitized by Google

qui, quoniam rem diiudicare nequeo, neutri theologorum parti totus addictus sum; qui, quamvis haud incredulus, de rerum, in quibus versantur, incertitudine persuasus, medicum ut decet, observo atque exspecto, nunquam non commotus fui fiducia, qua collega, subacto non minus ingenio quam doctrinae praestantia, veritatis amore pariter ac animi probitate conspicuus, placitis adhaereret, acriter a novatoribus impugnatis. Quodcunque autem fuerit vel aequalium vel posteritatis de VINKIO nostro iudicium, memoriam eius pie conservabimus omnes.

Viventibus nobis, coniunctissimi collegae, multa sane bona contigerunt. Plerisque illibata licuit valetudine laboribus vacare, praeeunte et veluti facem praeferente BOUMANNO nostro, qui suo probat exemplo, quam recte CICERO dixerit: „manent ingenia senibus, modo permaneat studium et industria." Dolemus, senem illum venerandum, itemque clarissimum VAN LIDTH DE JEUDE corporis infirmitate prohiberi, quominus festum anniversarium nobiscum celebrent. Adsit iis Providentia Divina! Sunt in collegio nostro, quibus laeta, imo vero laetissima acciderint, quae denuo ipsis gratulamur. At moerentes etiam conspicio, MIQUELLIUM et DOEDESIUM, quorum hic dulcissimam uxorem amisit, mentis animique dotibus insignem, ille vero patre orbatus est, medico literatissimo, multis nominibus praeclaro. Sustineat afflictos Deus Optimus Maximus!

De MIQUELLIO vero, ab ancipite morbo feliciter restituto, alia quoque praedicanda habemus, quae, quemadmodum ipsi honori, sic disciplinae, quam prae ceteris colit, emolumento fore, aequi iudices praesagiunt omnes. Nimirum praefectus est Museo botanico, quod Lugduni Batavorum asservatur. Quam vero praefecturam ea tantum conditione accepit, ut sibi liceret Traiecti habitare. Cathedram enim, cui Leidensis Academiae Curatores eum destinaverant, Traiectinae Palladi iamdudum addictus, humaniter abnuit. Quod quanto nobis omnibus gaudio fuerit, o optime! aut fallor equidem, aut vultu nostro disertius quam verbis declaratur.

Tu, carissime VREEDE, quid patria medicina valeat in domo tua nuper expertus, boni cuiusque vindex, salutiferam etiam artem, siquando necesse fuerit, nobiscum tueare.

Ad vos me converto, clarissimi KOSTER et VAN OOSTERZEE! Nostis, quam cari nobis fuerint duumviri, quorum in locum non ita pridem suf-

Digitized by Google

fecti huic ordini nostro adscripti estis. Quo vos animo receperimus, excidere memoria vestra nondum potuit. Pergite, quod facitis, eniti, desideratos ut non industria modo, sed etiam candore, benevolentia, officiis aequetis. Neque sane nostri tantum, at Academiae vel maxime causa rogo hoc et a vobis peto. Dissidia namque doctorum ut noxae sunt studiosis, ita concordia mirum quantum proficiat. Tibi, dilectissime KOSTER, cuius valetudo nonnihil afflicta fuit, ut ingenio doctrinaque permultum praestare possis, aliquando latera contingant, qualia diserto huic theologo benefica donavit natura. Tu, aestumatissime VAN OOSTERZEE, naturae beneficio ita utaris, ut aeternam veritatem intonando quasi promulges. Incolumes diu vos habeat Academia, habeat patria, habeat orbis eruditus!

Vos omnes, viri clarissimi, per longam annorum seriem ita vivatis, ut vestro maxime labore florere pergat haec Academia Rheno-Traiectina!

E civibus academicis duo iuvenes, ingenio, studiis ac moribus conspicui, quod graviter dolemus, anno superiore demortui sunt: EVERDINUS HENDRINUS BEATOR VAN SYLL et EDUARDUS IOHANNES RUTGERS. Lugeant parentes, lugeant amici, sed acquiescant in voluntate Numinis Supremi!

Vix ullus exigitur annus, quin plures obeant ex iis, quos Pallas Traiectina fovit. De his vero, qui, spatiis academicis decursis, in vitam civilem introïerint, nisi hac in Musarum sede sive professorio sive alio quodam munere functi sint, a Rectore magistratu abeunte mentio fieri non solet. Ecquis autem miretur, contra morem et consuetudinem HULLEMANNUM [100]) me commemorare, Leidensis Academiae, cum viveret, lumen, ineunte aestate tanquam in gremio almae matris non improviso quidem, at subito fere exstinctum? Meministis tristem illum diem, a COBETO, viro clarissimo, tam exquisite depictum [101]), quo cum patre, cum collegis et discipulis defuncti funeris exsequias prosecuti sumus. Quantas tum audivimus laudes! Quam singularem cognovimus amorem! Quis vestrum, Auditores, quotquot adfueritis, non toto pectore motus et fere perturbatus a tumulo discessit? Tales utinam multos proferat haec Academia viros!

Pro parte hoc nostrum erit, collegae, pro maiori vero vestrum, iuvenes ornatissimi! Nimirum non infunduntur doctrinae, sed addiscuntur, non traditur humanitas, sed generatur. Addiscere vero sine labore, generari

Digitized by Google

sine seminibus nemo nihilque potest. Itaque ludite, cursitate, saltate, equitate, quantum velitis. Ante omnia vero studiis operam navate, virtutem colite, respicite finem. Quod si feceritis, nullum dubium, quin in omnibus rebus modum habeatis. Modum autem habere sapientis est, excedere vero stulti. Non omnes profecto HULLEMANNUM aequare poteritis, poterunt autem multi, nulli vero non ad eam excoli mentis animique praestantiam, qua patriam ornent huiusque Academiae gloriam tueantur. Agite, vires intendite; quod bonum et honestum est, sectamini; fugite, quod inhumanum. Sic parentibus cari, praeceptoribus accepti, vestram ipsi, Deo favente, fortunam, civitati commoda parabitis et decus.

Absolvi de personis. Sequuntur studiorum praesidia. De Nosocomio dixi. Dictis addi possit, eam ipsius partem, in qua LUCINAE mysteria fiunt, ceteris longe praestare.

Museum anatomicum et aliis locupletatum est et inprimis Thesauro pathologico, quem SUERMANNUS reliquit, ab eius heredibus Academiae nostrae donato. Quam quidem liberalitatem ut magni facimus, ita dolemus, propter locorum angustiam aptae speciminum dispositioni tantum adhuc deesse, ut potius inepta dici debeat. Huic autem incommodo quam primum et quam optime prospectum iri, grato erga Curatores animo praedicamus.

In laboratorio physiologico, novis licet instrumentis dotato, permulta desiderantur. Deficit inprimis locorum opportunitas, magis etiam quam antea necessaria, quandoquidem integra, qua late patet, Physiologia, multifariis experimentis observationibusque illustrata, ibidem tradi et addisci, imo vero DONDERSII nostri ingenio perfici debet et explicari.

Hortus academicus, non tantum Botanices studiosis, sed etiam civibus Traiectinis, qui naturae deliciis frui cupiant, patefactus, in optimo versatur statu. Crescit in dies plantarum numerus. In postica horti parte novum exstructum est aedificium, quod providentia Curatorum, qui Floram et Minervam aequali amplectuntur amore, cum Museo botanico destinatum est, tum etiam scholis a litterarum professoribus habendis.

In Museo, quod Historiae naturalis studiis inservit, novorum aliquot speciminum accessione lacunae quaedam expletae sunt.

4

Digitized by Google

Laboratorium chemicum, grate testante MULDERO nostro, tanto opere perfectum absolutumque est, ut omnia habeat, quae chemicam ad disciplinam cum tradendam, tum addiscendam et vero provehendam vel optari possint vel etiam cogitari.

Museum physicum locupletatum est egregio apparatu, a RUHMKORFFIO constructo, phaenomenis inductionis galvanicae illustrandis accommodato.

Observatorium astronomicum paucis post mensibus locupletabitur instrumento primario, scilicet telescopio decem pedes longo, quod Monachii in officina STEINHEILII conficitur. Collocatio huius instrumenti parallactica, quam vocant, OLLANDO mandabitur, mechanico Traiectino.

Bibliotheca academica, cui custos adscriptus est DIDERICUS ALBERTUS BALFOORT, vir ornatissimus, praeterquam ordinaria librorum accessione, annuis sive subsidiis sive donis, tum etiam permutatione cum exteris comparata, quam singulatim memorare non attinet, extraordinaria multum locupletata est. Primum, quod Curatoribus, viris amplissimis, acceptum referimus, e celeberrima ACKERSDYKII nostri biliotheca plures iique egregii libri partim iuridici vel oeconomici, partim litterarii argumenti coëmi potuerunt. Deinde, quemadmodum Professores haud pauci, sic etiam plures ex iis, qui summos olim in hac Academia honores consecuti sunt, operibus ab ipsis editis aliisque bibliothecam nostram ornarunt. Postremo duo nobis obtigerunt munera, quae num amplitudine magis an animo donatorum excellant, equidem affirmare non ausim. Sexcenta scilicet et quinquaginta scripta academica, auctorum fama pariter ac argumentorum gravitate praeclara, verbis amantissimis nobis obtulit HENRICUS GUILIELMUS TYDEMAN, vir clarissimus, dimidium ultra saeculum Academiae Lugduno-Batavae decus. Quod quo gratius nobis acciderit benevolentiae testimonium, eo tristior sane nuntius fuit, nuperrime perlatus, senem illum venerandum, quasi somno se daret, animam efflasse. — Qui Curatorum collegio praeest, vir nobilissimus, eques A RAPPARD, bibliothecam locupletavit opere praestantissimo, septuaginta septem in volumina diviso, quod sub titulo Diarii Asiatici thesaurum continet dissertationum de populis orientalibus, quae vere classicae habentur. Gratias accipe, vir excellentissime, quas omnium nomine tibi maximas ago, pro singulari beneficio, quo privatim etiam Academiam nostram afficere tibi placuit.

Digitized by Google

Est haec sane liberalitas generis tui nobilitate non minus quam eximio, quo flagras, doctrinarum amore dignissima. Tales utinam multi patriis Academiis contingant tutores! Tuam vitam, Praeses illustrissime, diu nobis conservet Deus Optimus Maximus!

Superest, ut honores et insignia conferam in successorem CHRISTOPHORUM HENRICUM DIDERICUM BUYS BALLOT, virum clarissimum, quem e Regis augustissimi decreto proximum in annum Academiae Rheno-Traiectinae Rectorem magnificum dico, renuntio, proclamo.

Salve, vir magnifice, iterumque salve. Munus tibi trado gravissimum. Sapienter eo fungenti propitius adsit Deus omnipotens! Universitati praefectus es cum ceteris huius generis institutis ad verum bonumque in patria nostra promovendum destinatae. Tuo moderamine suum ipsa vindicet honorem. Doctrinae sit et humanitatis genitrix fecunda, iusti honestique parens et exemplum.

DIXI.

Digitized by Google

ANNOTATIO.

[1]) PETRUS HOGERBEETS, anno 1642 Hornae patricia familia natus, postquam Patavii summos in medicina honores consecutus erat, artem salutarem in urbe natali feliciter factitavit usque ad annum 1599, quo peste exstinctus est. Teste THEODORO VELIO, collega iuniore quidem, at erudito quoque, HOGERBEETSIUS ille non tantum artis peritia atque humanitate excelluit, sed etiam litterarum scientia et vero dicendi scribendique facilitate plane singulari. Latine nimirum sic loquebatur, ut, asseverante IOSEPHO SCALIGERO, Romani vel aurea aetate purius loqui haud potuerint. Celeriter autem expediteque concepta tam eleganter, tam concinne, tamque limate perscribere solebat, ut alios, qui meditate rem perficerent, omnino superaret. Superabat autem oratione soluta, superabat etiam versibus. Utro genere magis valuerit, incertum videtur; ut igitur dolendum sit, tam pauca superesse tanti ingenii monimenta. Cf. *Chronijk van Hoorn*, door THEODORUS VELIUS, Edit. 4. p. 642 seq. *)

[2]) Quod universe dictum sit. Hornae namque nihil minus quam rarum erat, ubi quippe et VELIUS et HADRIANUS IUNIUS poëticis pariter ac aliis inclaruerunt. Quod quo iure factum sit, meum non est indicare. Notandum autem, PEERLKAMPIUM nostrum, idoneum sane harum rerum iudicem, IUNIUM ex choro poëtarum eiecisse, VELIUM et HOGERBEETSIUM ne nominasse quidem. Cf. P. HOFMAN PEERLKAMP, *Liber de vita doctrina et facultate Nederlandorum qui carmina latina composuerunt.* Edit. alter. Harl. 1838, p. 112 seq.

[3]) REGNERUS SNOY, honestis parentibus anno 1467 Goudae natus, in pueritia tam hebes erat, ut nihil prorsus discere posset. Opificis labores studiis anteponens fabri ferrarii curae mandabatur. At mallei gravitatis cum ipsum pertaesum esset, literis operam navare coepit, idque optimo cum eventu. Studiis academicis primum Lovanii, deinde Bononiae decursis,

---

*) De HOGERBEETSIO ceterisque, quos laudavi, patriae medicinae vindicibus plura notare, quam in Oratione commemorari potuerunt, iis inprimis opportunum duxi lectoribus, qui minus versati sint in artis salutaris ipsorumque artificum historia.

Digitized by Google

in hac quidem urbe medicinae doctor creatus est, magnam ibi cum artis salutaris, tum etiam litterarum et philosophiae peritia, nec minus eloquentia famae celebritatem nactus. In patriam reversus primum archiater fuit ADULPHO A BURGUNDIA, Verorum in Zelandia toparchae, cuius munificentiam expertus a CAROLO V legatus est primum ad CHRISTIANUM II, Daniae Regem, deinde ad IACOBUM IV, Regem Scotiae. Posteaquam in Anglia medicinam aliquamdiu factitaverat, Goudam rediit ibique consulari dignitate ornatus ad mortem usque studiis theologicis delectatus est. De his aliisque, quae SNOYUM eiusque opera spectant, conferantur AUBERT. MIRAEI *Elog. illustr. Belg. script.*, Antverp. 1602, p. 63 seq.; Vita RENERI SNOI Goudani per IACOBUM BRASSICAM, praemissa RENERI SNOI, Archiatri, *de Rebus Bataricis*, Libr. XIII, Ed. Francof. a. 1620; VALER. ANDREAE *Bibl. Belg.*, Lov. 1643, p. 790 seq.; IO. FRANC. FOPPENS, *Bibl. Belg.*, Brux. 1739, T. II, p. 1061 seq.; PAQUOT, *Mém. pour servir à l'hist. littér. des dix-sept provinces des Pays-Bas etc.*, Louvain 1768, T. XI, p. 55 seqq.; *Beschrijving der stad Gouda* door I. W., Gouda 1713, p. 244 seqq.

[4]) ERASMI in epistola, quae invenitur in ipsius *Epistolarum* editione Basileensi, a. 1558, L. V. p. 221 seq., haec leguntur:

» Quantum reliquis mortalibus antecellit medicus, tantum ego te medicorum vulgus antecedere puto, ut tibi non modo ut medico debeam, sed ut medico in arte principi, fide rara et pene incredibili, cura et sollicitudine plus quam paterna, humanitate admirabili......... Nam arte quidem doctus es miraculo, fide magnatibus places, diligentia curaque laborantibus, humanitate miraque morum suavitate universis." Hanc epistolam ab ipso ERASMO ad REGNERUM SNOYUM datam esse, ex editione, qua usus sum, equidem efficere non potui. Inscribitur enim: » *Erasmi epistola pro amico quodam scripta ad medicum.*" Constare tamen videtur editione Lugdunensi, ad quam provocat auctor libri iam laudati, cui titulus, » *Beschrijving der stad Gouda.*"

[5]) BERNARDUS DESSENNIUS CRONENBURGIUS natus est Amstelodami a. 1510, denatus Coloniae Agrippinae, a. 1574. PAQUOT ll. T. 13 p. 122 scribit: » BERN. DESSENIUS VAN CROONENBURCH," WAGENAAR vero, *Beschrijving van Amsterdam*, T. III, p. 200, » BERN. DESSENIUS KROONENBURG."

[6]) Conferantur epistolae elegantissimae MATTHIOLI et CRONENBURGII nostri in PETR. ANDR. MATTHIOL. *Epist. med.* L. II, p. 82 seqq. Ibi male legitur » DISSENIUS."

[7]) De qua Schola conferantur ea, quae leguntur in Annot. ad HERMANNI MUNTINGHII Orationem in natalem ducentesimum Academ. Groninganae, p. 85 seq.

[8]) Quod suspicor, quandoquidem CRONENBURGIUS in laudata ad MATTHIOLUM epistola vitae suae fata breviter enarrans scripsit, postquam unum modo annum in Hollandia medicinam factitasset, a senatu Groningano » publico se aere arcessitum esse." Non additur » ad docendum." Docuisse tamen ipsum, diserte affirmatur a PAQUOTIO.

[9]) ADRIANUM VAN TEIJLINGEN significavi, PETRI FORESTI cognatum, de quo hic *Observ. et Cur. Med.* L. II, Observ. XXIV in scholiis atque L. IV Obs. III, Edit. Francofurt. a. 1634 p. 44 et 112, mentionem fecit. Suspicor, eundem fuisse, quocum IO. HEURNIUS Patavii studiis operam navavit, quamquam in vitae HEURNII descriptione, cuius auctor OTHO

Digitized by Google

filius est, medicus Alcmarianus dicitur. Fortasse primum Harlemi, deinde Alcmariae salutarem artem factitavit.

[10]) HADRIANUS IUNIUS (DE IONGE) anno 1511 honesto genere Hornae natus, postquam Bononiae summos in medicina honores consecutus erat, primum in Anglia, deinde Hornae, tum Harlemi, denique Medioburgi salutarem artem exercuit. Cathedrae Leidensi ipsum destinatum fuisse, legimus in IO. MEURSII *Athen. Bat.* p. 93. At ipso anno 1575 Arnemudae obiit. De vita et scriptis IUNII illius conferantur VELIUS, *Cronijk van Hoorn*, p. 637 seqq., FOPPENS, *Bibl. Belg.* T. I, p. 14 seq., COLLOT D'ESCURY, *Holland's Roem in Kunsten en Wetenschappen*, IV, 1. p. 128 seq., alii. Filius eiusdem, PETRUS IUNIUS, qui patris memoriam epitaphio cohonestavit, ipse medicus fuit artis peritissimus.

[11]) PETRUS FORESTUS (VAN FOREEST) anno 1522 nobili gente natus, postquam Lovanii, Bononiae, Patavii et Romae cum aliis, tum inprimis medicis disciplinis operam navaverat, primum in Gallia, et quidem cum Lutetiae Parisiorum, tum etiam Pythureis, deinde Alcmariae, postea Delphis, denique iterum in natali medicinam factitavit. Obiit anno 1597. De vita FORESTI, cum multis eruditis, IO. HEURNIO, GISB. HORSTIO, ANDR. VESALIO, VALERIO CORDO, VIDO VIDIO, IAC. SYLVIO, PETRO HOGERBEETSIO, aliis amicitiae necessitudine coniuncti, conferantur IO. MEURS. *Athen. Bat.* p. 97 seqq. et PAQUOT ll. T. XII. p. 75 seqq.

[12]) Peractis solennibus, quibus inaugurata fuit Academia Lugduno-Batava, asseverante MEURSIO, FORESTUS orationem pronuntiavit ad studia medicinae commendanda. Num lectiones etiam habuerit adeoque promissis steterit, quorum ORLERSIUS mentionem fecit, incertum videtur. Cf. docta commentatio cl. GER. CORN. BERN. SURINGAR de binis prioribus in Academia Leidensi medicinae professoribus, inserta diario, cui titulus: *Nederlandsch Tijdschrift voor Geneeskunde*," a. 1860.

[13]) GERARDUS DE BONT natus est in pago Gelriae Rijswijk a. 1537, denatus a. 1599. Cf. HERM. BOERHAAVE, *Index alter plantarum, quae in horto Acad. Lugd. Bat. aluntur.* P. I. p. 19 seqq., et SURINGAR, l. l.

[14]) IOANNES VAN HEURNE Traiecti ad Rhenum anno 1543 natus, postquam Lovanii, Lutetiae Parisiorum et Patavii clarissimorum virorum institutione usus erat, in universitate Ticinensi medicinae doctor creatus est. In patriam redux Traiecti salutarem artem omnium applausu factitavit, donec a. 1581 in Academia Lugduno-Batava medicinae Professor renuntiatus sit. Obiit a. 1601. Conferatur vitae descriptio ad num. 9 laudata, praemissa IO. HEURNII *Oper. Omn.*, tum etiam MEURSIUS l. l. p. 135 seqq.

[15]) „Erat Gubernator ille," sic rem enarrat OTHO HEURNIUS „Dominus de Noortcarmes ab Hispanis quibusdam veneno potionatus, unde in virulentum taediosissimum inciderat icterum. Ipse et causam morbi sui noverat et immedicabile malum esse sentiebat; ut tamen mali taedium leniretur, iubet totius regionis medicos convocari. Ubi in domo ipsius convenissent, imperat ut non omnes simul, nec etiam duo vel tres iunctim, sed singuli seorsum conclave suum ingrederentur, addens se liberum cuiusque velle audire iudicium, nec sub tyrannide contradictionis et disputationis suam salutem exponere, sibi decretum esse; ..... Singuli igitur seorsum Gubernatoris conclave ingrediuntur, priores seniores, iuniores poste-

Digitized by Google

riores; ultimus autem omnium IOANNES HEURNIUS, utpote omnibus aetate minor. Reliqui multa egregie de ictero dixerant, et praeclaros curandi modos proposuerant, sed Gubernatori nullus satisfecerat. Ultimum igitur cum videret ingredi HEURNIUM, siluit, nec de morbi historia percontanti quicquam respondit, existimans se frustra subinde interrogationibus lassari, cum nullus omnium causam ipsi etiamnum enarrasset. Mirabatur HEURNIUS interrogatum aegrum integrae mentis nihil respondere. Ad adstantes igitur se convertit. Vide, inquit, Dominum Gubernatorem defatigatum, ita ut mihi nihil respondere queat, nec ullas ansas dare, quibus latentem morbi sui indolem apprehendere possim: vos autem qui iam saepe ipsum audivistis ea commemorantem, mihi ad pauca respondete. Coepit igitur symptomata omnia examinare actionis laesae, qualitatis mutatae et excrementorum, causasque internas et externas omnes explorare, certisque indiciis deprehendit ictero ipsum laborare patriae nostrae insolenti, sed Italiae frequenti (nam plures similes ibi casus viderat), nimirum virulento, a veneno hausto. Hactenus Gubernator siluerat, at ita morbi sui intimam indolem detectam cernens, exclamat mirabundus, unicum iuvenem sibi satisfecisse, a reliquis nihil se nisi defatigationem consequutum. Reliquos igitur medicos omnes dimittit, solum HEURNIUM sanitatem suam curare iubet."

[16]) PETRUS PAAW (sic suum ipse nomen scripsit in libris, quos edidit,) a. 1564 Amstelodami patricia familia natus, primum Leidae, deinde Lutetiae Parisiorum in medicas disciplinas incubuit universas, in anatomen postea praesertim Rostockii, ubi doctoris gradum consecutus est. Inde ab anno 1589 usque ad 1617, quo vita cessit, in Academia Lugduno-Batava munere Professoris functus est atque tum alias medicinae partes, tum inprimis Anatomen et etiam Botaniceen docuit. Cff. MEURSII *Athenae Bat.* p. 264 seq.

[17]) REGNERUS BONTIUS, filius GERARDI, a. 1576 Leidae natus, inde ab a. 1603 professoria dignitate ibidem Physicam docuit, ab a. 1607 ad 1623, quo diem obiit supremum, Medicinam. Cf. SIEGENBEEK, *Gesch. der Leidsche Hoogeschool*, T. II, p. 83 seq.

[18]) OTHO HEURNIUS a. 1577 Traiecti natus, patre mortuo, a. 1601 Medicinae Professor in Academia Lugduno-Batava creatus, per saeculum dimidiatum fere munere isto functus est.

[19]) De clinicae institutionis in Academia Lugduno-Batava initiis docte, ut solet, et diligenter tractavit cl. GER. CONR. BERN. SURINGAR in diario iam laudato, quod inscribitur *„Nederlandsch Tijdschrift voor Geneeskunde"* a. 1862. Cf. etiam SIEGENBEEK, *Gesch. der Leidsche Hoogeschool*, T. II, p. 109 seqq.

[20]) EWALDUS SCHREVELIUS anno 1575 Hagae comitum natus, inde ab anno 1624 usque ad 1647, quo demortuus est, Ordini medicorum in Academia Lugduno-Batava adscriptus fuit.

[21]) GUILIELMUS STRATENUS (VAN DER STRATEN sive VAN DER STRAETEN, ut in picta legitur ipsius imagine, quae asservatur in senaculo Traiectino,) anno 1593 Traiecti ad Rhenum patricia gente natus est. De vita viri huius praestantissimi conf. C. BURMANNI *Traj. erud.* p. 363 seq.

[22]) Certum est, in Gymnasio Patavino iam anno 1578 clinicam quamdam institutionem locum habuisse. Vix dubitandum tamen, quin, quo tempore in nostra patria fundaretur, vel exolevisset prorsus vel ad ineptias degenerasset. Conf. JAC. PHIL. TOMASINI, *Gymna-*

Digitized by Google

sium Patavinum, Utini 1654 p. 420. IAC. FACCIOLATI, *Fasti Gymnasii Patavini*, Patav. 1754 p. 215, 238 seqq., alibi.

[23]) In Oratione sive Prologo inaugurali, quo perpendit, *Quam iucunda, utilis et necessaria sit nostri cognitio per anatomen.* Titulus est: GULIELMI STRATENI, *Traiectini, in susceptam in Acad. patria Med. practicae et Anatomes professionem Prologus, recitatus* XV *Kal. April. anno* MDCXXXVI. *Ultraiecti* 1638.

[24]) »Non possum non hic multum laudare," sunt verba KYPERI, »Clarissimum et experientissimum virum Dn. GUILIELMUM STRATENUM, Reip. Ultrai. Medicum, atque ibidem Medicinae Practicae et Anatomiae Professorem celeberrimum, qui non solum, quantum in ipso est, diligentem curam in Nosocomiis aegris suis praestat, atque diaetae accuratissimam rationem observat, verum etiam ubi aegrotum astante studiosorum corona examinaverit, post ex historia istius aegri solvit quaestionem, quis sit morbus, quae eius causae, ut et symptomatum, (omissum esse videtur verbum »ratio vel significatio") quae prognosis, quae ei debeatur curatio, atque historiam ita tractatam publica disputatione ventilari permittit. Sic etenim studiosa iuventus simul modum versandi circa aegrotos addiscit, atque etiam rationem accurate historias medicas tractandi, consilia scribendi, praxinque ad particularia subiecta astringendi: cet." ALB. KYPERI Prusso-Regiomontani *Medicinam rite discendi et exercendi Methodus* L. B. 1643 p. 255. De KYPERO illo, inde ab anno 1648 usque ad 1655, quo mortalitatem explevit, in Acad. L. B. Med. Professore, cf. SIEGENBEEK l. l. T. II p. 130, PAQUOT l. l. T. I p. 296 sqq.

[25]) Postquam scilicet Archiatri titulo trium deinceps Principum Arausionensium, FREDERICI HENRICI, GUILIELMI II et III, valetudinem curaverat, anno 1674 Consul civitatis Traiectinae creatus est, quod munus, ut cetera, quam optime gessit.

[26]) ISBRANDUS DE DIEMERBROECK, Montfortiensis, anno 1609 honesto genere natus, obiit anno 1674.

[27]) Cf. IOH. GEORG. GRAEVII Oratio funebris in exequiis viri clarissimi et expertissimi ISBRANDI DIEMERBROECKII, Reip. Ultraiectinae Poliatri, ac in inclyta eiusdem Academia Med. Pract. et Anatomes Professoris Ordinarii. Habita a. d. XVII Nov. a. CIƆIƆCLXXIV.

[28]) MENELAUS WINSEMIUS, Leovardiensis, in Academia Franequerana inde ab anno 1616 usque ad 1629 Medicinae, Anatomes et Botanices Professor fuit, et quidem, teste MARTINO WYBINGA, Iuris antecessore, qui septem annos illi collega fuit, longe celeberrimus. Cff. EM LUC. VRIEMOET, *Athen. Frisiac.* Libri duo, p. 163 seqq.

[29]) ANTONIUS DEUSING, anno 1612 Meursae natus, in Academia Lugduno-Batava primum mathematicis et philosophicis, deinde litteris, potissimum orientalibus, operam dedit, IACOBO GOLIO usus magistro. Tandem, Arabum scriptis perquam delectatus, ad studia medicinae transiit. Anno 1637 Medicinae Doctor creatus primum in natali cum artem salutarem factitavit, tum etiam mathesin docuit. Deinde in Gymnasio Velavico et hanc et physicam docendi provincia professoria dignitate ornato DEUSINGIO mandata fuit. Paulo post Hardervici quoque, ubi Archiatri titulo medicinam exercebat, ad hanc e cathedra tradendam vocatus est. Anno 1646 Groningam migravit, ubi medicam professionem in inclyta huius

Digitized by Google

urbis Academia quatuor fere lustra digne sustinuit. Anno 1666 phthisi obiit. Conff. GEORG. ABRAH. MERCKLINI *Lindenius renovatus de script. medic.* Norimb. 1686 p. 63., PAQUOT, l. l. T. 12 p. 1 seqq., BOUMAN, *Geschiedenis van de voormalige Geldersche Hoogeschool en hare Hoogleeraren*, T. I. p. 78 seqq.

[30]) Scilicet IOHANNES STALPART sive STALPERT VAN DER WIEL sive VAN DER WIELE, Medicinae Doctor, qui inde ab anno 1668 titulo Professoris Anatomico-Chirurgici Hagae Comitum Anatomen et Chirurgiam magno cum applausu docuit, anno 1683 mortuus, et frater ipsius CORNELIUS, *Observationibus*, quas edidit, *rarioribus Medicis*, *Anatomicis*, *Chirurgicis* clarus. Atque hic quidem, ut verisimiliter etiam frater, Haganus, anno 1637, aetatis XVII, civibus Academiae Leidensis adscriptus, quod, inspecto Libro Inscriptionum MS., benevole mihi communicavit Cl. SURINGAR, inde ab anno 1642 medicinam in urbe patria factitavit, idque ad senectutem usque. Cf. I. DE RIEMER, *Beschrijving van 's Gravenhage*, Delft 1730, I. 2 p. 607 seqq.

[31]) GERARDUS BLAES, secundum LENNEPIUM gente patriaque Holsatus, secundum alios in pago Oostvliet natus, primum Hafniae, duce potissimum BARTHOLINO celeberrimo, deinde Leidae medicinae studiis operam navavit. Atque hic quidem summos honores consecutus Amstelodami cum artem salutarem feliciter exercuit, tum in Athenaeo Illustri, professoria dignitate ornatus, inde ab anno 1659 usque ad 1692, quo vita cessit, medicinam egregie docuit et varia scripsit opuscula anatomen, etiam comparatam et pathologicam, illustrantia. Cf. Annotatio DAV. IAC. VAN LENNEP in Orationem IAC. PHILIPPI D'ORVILLE, in *Illustris Amstelod. Athen. Memorab.* p. 137 seqq., PAQUOT, l. l. T. 17 p. 221 seqq.

[32]) STEPHANUS BLANCARDUS (BLANKAERT) anno 1650 Medioburgi natus, in Academia Franequerana, ubi pater ipsius, NICOLAUS BLANCARDUS, Historiarum et linguae Graecae Professor erat, anno 1674 Philosophiae atque Medicinae Doctor creatus, usque ad annum 1702, quo fato functus est, artem salutarem Amstelodami factitavit et varia cum anatomici et pathologici, tum alius argumenti scripta edidit. Cff. DE LA RUE, *Geletterd Zeeland*, p. 19 seq., SAXE, *Onom. lit.* P. V. p. 242, KOK, *Vaderl. Woordenboek* in voce, alii.

[33]) IOANNES BEVEROVICIUS (VAN BEVERWIJCK) anno 1594 Dordraci natus ibique GER. IO. VOSSII disciplina classicis linguis eruditus, Leidae in litteris quidem DOMINICO BAUDIO et DANIELE HEINSIO, in medicina vero PETRO PAAWIO, OTHONE HEURNIO et AELIO EVERHARDO VORSTIO magistris usus, postquam in Gallicis universitatibus studia continuaverat, Patavii medicinae doctor creatus est. Dordraci salutarem artem non tantum exercuit, sed etiam Lectoris Chirurgiae titulo docuit. Variis praeterea muneribus praefuit, neque in natali modo, sed in universa patria, imo vero apud exteros quoque magnam nactus est famae celebritatem. Opera scilicet edidit cum medica, tum etiam historica, litteraria, poëtica multis nominibus praeclara. Diem obiit anno 1647.

Vitam et merita BEVEROVICII nuper exposuit doct. LUBACH in opere, cui titulus „*Schat der Gezondheid*," Jaargang 1863 p. 129 seq. Cff. etiam PAQUOT, l. l. T. 10 p. 116 seqq., VAN KAMPEN, *Geschiedenis der Ned. Letteren en Wetensch.* T. III. p. 66 seq., COLLOT D'ES-

Digitized by Google

CURY, *Holl. Roem in Kunsten en Wet.* T. IV. p. 323 seqq. A. J. VAN DER AA, *Biographisch Woordenboek der Nederlanden*, T. II. p. 154 seq.

[34]) NICOLAUS TULPIUS (TULP), Amstelodamensis, anno 1593 natus, in Academia Lugduno-Batava summos in medicina honores consecutus, decem amplius lustra Hollandiae metropoli varia ratione profuit. Nimirum non tantum artem factitavit, sed anatomen etiam docuit et consulari dignitate ornatus prudentia et animi fortitudine vere excelluit. Pauca scripsit, at egregia. Decessit anno 1674. Cff. PAQUOT, ll. T. I. p. 221 seqq., THIJSSEN, *Voorlezing over Nic. Tulp* (*Magazijn van* V. KAMPEN, D. III. p. 420). NIEUWENHUIS, *Algem. Woord. v. Kunst. en Wetensch. Aanhangsel*, in voce. COLLOT D'ESCURY, ll. T. VII, p. 404 seqq.

[35]) IOHANNES ANTONIDES VAN DER LINDEN, Enchusanus, anno 1609 natus, primum Leidae, deinde Franequerae cum aliis, tum medicinae studiis operam navavit. Stadiis Academicis decursis, Amstelodami per novem deinceps annos artem salutarem feliciter exercuit. Defuncto MENELAO WINSEMIO, huius in locum suffectus, Franequeram migravit ibique et medicas disciplinas egregie docuit, et primariorum in republica virorum valetudinem curavit, et Bibliothecae Academicae per triennium praefuit. Anno 1651 cathedram Leidensem conscendit eandemque ad mortem usque, quae anno 1664 accidit, vere ornavit. Inter opera LINDENII, quae supersunt, inprimis memorari merentur *Libri duo de scriptis medicis* atque *Hippocratis* et *Celsi*, quas curavit, editiones. Cff. VRIEMOET, *Athen. Fris.* p. 347 seqq. SIEGENBEEK, *Gesch. der Leidsche Hoogeschool.* T. II. p. 130 seq.

[36]) THEODORUS IANSSONIUS VAN ALMELOVEEN, anno 1657 honesto genere Mydrechti natus, Ultraiecti cum in medicinam, tum etiam in philosophiam et litteras humaniores pari incubuit industria. Anno 1681 medicinae doctor creatus, primum Amstelodami, deinde Goudae salutiferam artem strenue atque humaniter factitavit usque ad annum 1697, quo Harderovicum vocatus est Historiae, Eloquentiae et Graecae linguae Professor ordinarius, cui quidem muneri tribus annis post accessit Professio Medicinae. Quantum ille et scholis habendis et scriptis edendis cum Academiae Harderovicenae, tum universae reipublicae litterariae profuerit, diligenter exposuit BOUMANNUS, vir clarissimus, in opere supra laudato, T. II. p. 35 sqq. Obiit ALMELOVEENIUS Amstelodami, ubi feriarum tempore commorabatur, anno 1712.

[37]) BARTHOLOMAEUS DE MOOR, Capella-Hollandus, anno 1649 natus, primum Traiecti, deinde Harderovici, postremo Leidae studiis operam dedit. Quibus, quantum ad summos in medicina honores consequendos requireretur, feliciter peractis, cum Goudae, tum Amstelodami per longam annorum seriem artem factitavit. Inde ab anno 1706 professoria dignitate ornatus primum Groningae, deinde Harderovici medicinam docuit. Vita cessit anno 1724. Cf. BOUMAN, ll. T. II. p. 63 seqq.

[38]) IACOBUS VALLAN, Amstelodamensis, anno 1637 natus, Leidae medicinae doctor creatus est, et quidem anno 1658, cum aliorum, tum inprimis HORNII et LINDENII discipulus. Artem exercuit Amstelodami. Inde ab anno 1675 in Academia Rheno-Traiectina per septem fere lustra medicinam practicam, primos muneris annos etiam anatomen docuit. Pauca scripsit, at magna fuit ipsius celebritas, quod cum ex aliis patet, tum ex iis, quae

Digitized by Google

publice declaravit unus ex optimis VALLANI discipulis, iam laudatus ALMELOVEENIUS nempe, in epistola ad WILHELMUM REYNDERS, *Notis et Animadversionibus* in CAELIUM AURELIANUM praeposita. Diem obiit a. 1720.

[39]) RUDOLPHUS LEUSDEN, IOHANNIS filius, Rheno-Traiectinus, in academia patria cum aliorum, tum inprimis IACOBI VALLANI et IOHANNIS MUNNICKSII discipulus, anno 1694 summos in medicina honores consecutus idemque artium liberalium magister creatus, inde ab anno 1703 Professoris titulo varias disciplinae partes, anatomen, chirurgiam, medicinam practicam docuit. Anno 1726 Traiectinae regionis Ordinibus adscriptus non uno nomine de republica bene meruit. Obiit anno 1764. Cf. BURMANNI *Traj. Erud.* p. 186.

[40]) IOANNES OOSTERDIJK SCHACHT, patris HERMANNI, magni BOERHAAVII celeberrimique ALBINI discipulus, anno 1704 Leidae natus, ibique cum in medicina, tum etiam in philosophia summos honores consecutus, hanc quidem Franequerae docuit, illam vero Traiecti, idque raro sane exemplo, duodecim amplius lustra. Quod quam egregie fecerit, probant, quas edidit, *Institutiones medicinae practicae*. E claris ipsius discipulis inprimis commemorari merentur filius NICOLAUS GEORGIUS OOSTERDIJK, qui primum Gelricae, deinde Lugduno-Batavae decori fuit Academiae, atque fratris natus HERMANNUS GERARDUS OOSTERDIJK, medicus Amstelodamensis idemque poëta celeberrimus. Ipse etiam SCHACHTIUS carmina latina fecit, ab artis peritis laudata. Obiit anno 1792. Cf. VRIEMOET, l. l. p. 819 seq., COLLOT D'ESCURY, l. l. III. 1. p. 229.

[41]) EVERHARDUS IACOBUS VAN WACHENDORFF, anno 1703 Ultraiecti natus, medicinam ibidem didicit a viris clarissimis, RUDOLPHO LEUSDEN, JOSEPHO SERRURIER et CHRISTIANO BERNHARDO ALBINO. Doctorum in numerum adscriptus, quod anno 1724 accidit, artem exercuit Traiecti. Simul autem, inde ab anno 1626 certe, publica auctoritate chemiam docuit. Defuncto cl. SERRURIER, medicinae, botanices et chemiae professio ipsi mandata fuit, quam ab anno 1743 ad mortem usque digne sustinuit. Obiit a. 1758.

[42]) PETRUS LUCHTMANS, Leidensis, anno 1733 natus, in Academia Lugduno-Batava cum aliis, tum inprimis medicis disciplinis operam navavit, in his quidem BERNHARDO SIEGFRIEDO ALBINO eiusque fratre FREDERICO BERNHARDO, HIERONYMO DAVIDE GAUBIO, aliis viris celeberrimis usus praeceptoribus. Sub finem anni 1758, defensa dissertatione *de saporibus et gustu*, summos in medicina honores consecutus, exeunte anno sequenti Medicinae, Anatomes et Chirurgiae Professor creatus est in Academia Rheno-Traiectina. Atque his quidem, tum etiam Arte Obstetricia atque Medicina forensi tradendis, quemadmodum egregios informavit discipulos, ita magnam sibi comparavit non in patria modo, sed apud exteros etiam famae celebritatem. Ut aliis doctrinarum societatibus, sic Academiae Caesareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curiosorum mature adscriptus fuit, cognomine *Numisianus* appellatus, in memoriam celebris antiquitatis anatomici. Obiit anno 1800.

[43]) ALEXANDER PETRUS NAHUIJS, Monachodamensis, anno 1737 honesto genere natus, postquam Harderovici Academica spatia decurrerat ibique artium liberalium magister, philosophiae ac medicinae doctor creatus erat, primum Hornae, deinde Hagae comitum artem salutarem factitavit. Ab anno 1771 usque ad 1775 in Academia Gelrica, deinceps in Traiectina

Digitized by Google

cathedram medicam ornavit. Vir fuit multiplici consummataque doctrina conspicuus, qui cum institutione sua, tum etiam scriptis praeclaris de medicis ac physicis disciplinis in salutem civitatis optime meritus est. Obiit anno 1794. Cf. inprimis BOUMAN, l. l. T. II p. 341 seqq.

[14]) De HERMANNO BOERHAAVE, (sic in autographa, quam possideo, scidula suum ipse nomen scripsit, quamquam in titulo Disputationis medicae, qua defensa Doctor creatus est, legitur HERMAN BOERHAVEN) de hoc igitur e pago Voorhout Hollando, pridie Kal. Ian. a. 1669 nato, anno 1738 demortuo, qui Leidae studiis operam navavit, at Harderovici summos in medicina honores consecutus est, omnium, quotquot in patria nostra fuerunt, medicorum longe celeberrimo, cff. ALB. SCHULTENS, *Or. fun. in memoriam Herm. Boerhaavii*, L. B. 1738, HIER. DAV. GAUBII, *Oratio paneg. in ausp. sec. tertii Acad. Batavae, quae Leidae est.* L. B. 1775; COLLOT D'ESCURY, l. l. T. VII p. 422 seqq.

[15]) HIERONYMUS DAVIDES GAUBIUS (GAUB) Heidelbergensis, anno 1704 honestis parentibus natus, primum Harderovici, duce cl. BARTH. DE MOOR, deinde Leidae, praeceptore inprimis BOERHAAVIO, medicis disciplinis operam navavit. Artem fecit cum Amstelodami, tum etiam Daventriae. Inde ab anno 1731 usque ad 1775 in Academia Lugduno-Batava primum Lectoris, mox autem Professoris titulo et chemiam et medicinam docuit. Praeter orationem panegyricam iam laudatam binasque, quas habuit, *de regimine mentis, quod medicorum est*, e scriptis in lucem editis inprimis memorari merentur ipsius *Institutiones pathologiae medicinalis*, opus multis nominibus praeclarum, iniuste nostra aetate contemtum. Cff. I. BLEULAND, *Orat. inaug., qua memoria H. D. Gaubii cum omnibus, tum praesertim medicinae studiosis commendatur.* Harderovici 1791, L. G. TE WATER, *Narratio de rebus Ac. L. B.*, p. 35, 217, SIEGENBEEK, l. l. T. I, p. 297, T. II, p. 191 seqq.

[16]) IOHANNES DE GORTER eiusque filius DAVIDES DE GORTER, uterque Enchusanus, uterque Gelricae Academiae superiori saeculo decori fuit. Pater, anno 1689 natus, unus ex optimis magni BOERHAAVII discipulis, postquam tredecim annos artem salutarem Enchusae factitaverat, sex fere lustra cathedram medicam ornavit. Anno 1754 ELISABETHAE, Russicorum Imperatricis Archiater lectus, munere professorio se abdicavit. Quatuor annos Petropoli degit. Quibus exactis, valetudinis causa in patriam rediit. Vita cessit anno 1762. — Filius, anno 1717 natus, in medicis patre, in physicis IOHANNE HENRICO LOMMIO usus praeceptore, duodevicesimo aetatis anno summos in arte salutari honores consecutus atque biennio post philosophiae doctor creatus est. Eminuit inprimis botanices scientia, quam inde ab anno 1743 de cathedra docuit. Cum patre in Russiam profectus decem fere annos Archiatri munere functus est. Obiit Zutphaniae anno 1783. De vita et scriptis utriusque GORTERI quam accuratissime exposuit BOUMANNUS noster in opere saepius laudato, T. II, p. 99 seqq. p. 225 seqq. p. 153 seqq. p. 238 sqq.

[17]) GERARDUS VAN SWIETEN, anno 1700 Leidae natus, primum Lovanii, deinde in natali, duce praesertim BOERHAAVIO, cum medicis, tum etiam physicis disciplinis operam navavit. Anno 1725 summis in medicina honoribus ornatus Lugduni-Batavorum artem salutarem feliciter exercuit. A professoria dignitate, cui BOERHAAVIUS eum destinaverat, coniunctis

Digitized by Google

invidiae atque intolerantiae viribus repulsus, anno 1745 Vindobonam migravit, MARIAE THERESIAE Archiater creatus. Atque hic quidem, cum Imperatricis, tum optimatium favore adiutus, ingenio, industria artisque peritia de rebus medicis quam optime meritus est. Clinicam scilicet institutionem, eo usque cum in Austria, tum in universa Germania ceterisque regionibus, Anglia tantum excepta, prorsus fere neglectam, Boerhaavianae secutus exemplum, primus ille Vindobonae fundavit, scholam condidit praeclaram aliisque rationibus civium salutem promovit. Auctor cum aliis scriptis inclaruit, tum vero praesertim classicis *Commentariis in Herm. Boerhaavii Aphorismos de cognoscendis et curandis morbis.* Obiit anno 1772. De vita et meritis viri huius praestantissimi egregie scripsit HECKER in opere, cui titulus: *Geschichte der neuern Heilkunde*, p. 353 seqq.

[48]) ANTONIUS DE HAEN, Haganus, anno 1711 natus, egregius item magni BOERHAAVII discipulus, postquam quatuor fere lustra Hagae comitum artem factitaverat, anno 1754, commendante SWIETENIO, Vindobonam evocatus est Medicinae Professor primarius. Quod quidem munus ad mortem usque, quae a. 1776 accidit, optime gessit, consiliarii aulici, archiatri, aliis dignitatibus ornatus. Ut aliis multis, ita praesertim opere, quod edidit, primario *Ratio medendi in Nosocomio practico Vindobonensi* inscripto de arte salutari tam bene meruit, ut memoriam ipsius conservaturi sint aequi peritique rerum medicinalium iudices.

[49]) CORNELIUS ALBERTUS KLOEKHOF, Culenburgensis, anno 1715 honesto genere natus, in medicina HERMANNI OOSTERDIJK SCHACHT, Professoris Leidensis meritissimi, verisimiliter etiam BOERHAAVII discipulus, inde ab anno 1737 usque ad 1788, quo vita cessit, artem salutarem in natali magno cum applausu factitavit, scriptisque egregiis, inprimis *Opusculis medicis* a. 1747 editis atque dissertatione *de morbis animi*, quae sex annis post prodiit, tantam nactus est famae celebritatem, ut, GORTERIS in Russiam profectis, Gelricae curatoribus Academiae de meliori nota commendatus fuerit. Consulis ipsum munere functum esse, quod in Lexico biographico, a VAN DER AA edito, legitur, secundum literas, a viro consultissimo, qui municipio Culenburgensi ab actis fuit, ad me datas, archivum non probat. Cf. BOUMAN, l. l. T. II. 268.

[50]) IOHANNES HARTMANN DEGNER, Schwinfurto-Francus, anno 1687 natus, postquam in Universitate Halensi primum Iurisprudentiae, deinde Medicinae studiis operam navaverat, anno 1716 Academiae Rheno-Traiectinae civibus adscriptus, ibique LEUSDENI et SERRURIERII disciplina usus est. Anno sequenti medicinae doctor creatus, artem inprimis exercuit Neomagi, ubi non tantum civitatis archiatri, sed etiam consulis dignitate ornatus fuit, nec parvam sibi laudem peperit edita *Historia medica de dysenteria bilioso-contagiosa, quae* MDCCXXXVI *Neomagi et in vicinis ei pagis epidemice grassata fuit.* Traj. 1738. Obiit a. 1759.

[51]) IOANNES GRASHUIS, Groninganus, duodevicesimo aetatis anno. superioris saeculi scilicet decimo septimo, civibus academicis in natali adscriptus, ibidem quatuor verisimiliter annos in medicas disciplinas incubuit. Deinde Leidam migravit, ubi, BOERHAAVIO praeceptore usus, anno 1722 medicinae Doctor creatus est. Artem exercuit cum Amstelodami, tum etiam Hornae, variisque inclaruit scriptis medici et chirurgici argumenti: dissertatione *de generatione puris*, ab Academia Regia Chirurgica, quae Parisiis floruit, praemio ornata, exercitatione

Digitized by Google

medico-chirurgica *de scirrho et carcinomate*, tentamine *de colica pictonum*, aliis. Provecta demum aetate, nescio quando, vita cessit.

[12]) IANUS PETERSEN MICHELL, Amstelodamensis, anno 1781 in Academia Lugduno-Batava summos in medicina honores consecutus, unus e celeberrimis fuit Amstelodamensium medicis, qui scriptis etiam praeclaris de morbis nervosis, de febribus catarrhalibus, de cortice Peruviano aliisque argumentis posteritati semet ipse commendavit.

[13]) IOHANNES VEIRAC, Goudanus, anno 1743 natus, in Academia Lugduno-Batava cum aliis, tum inprimis GAUBIO atque ALBINO (BERNHARDO SIEGFRIEDO) praeceptoribus usus, anno 1764 medicinae doctor creatus est. Postquam septem annos primum in natali, deinde Sommelsdici salutiferam artem exercuerat, Roterodamum migravit ibique quinque fere lustra doctrina, solertia, humanitate excelluit, variisque muneribus functus est. Scripsit de hydrope pectoris, de tussi convulsiva, quam vocant, de rhachitide, de variolarum insitione aliisque argumentis, et ita quidem scripsit, ut plures doctrinarum societates cum praemiis ornarint. Cathedram Harderovicenam a GEUNSIO relictam abnuit. Obiit anno 1795.

[14]) LAMBERTUS BICKER, Roterodamensis, anno 1732 honesto genere natus, in Academia Lugduno-Batava cum aliis, tum inprimis physicis ac medicis disciplinis operam navavit, in his quidem GAUBIO, in illis vero MUSSCHENBROEKIO praesertim usus praeceptore. Anno 1757, publice defenso specimine multis nominibus egregio *de natura humana, quae medicorum est*, Medicinae Doctor creatus rediit in natalem ibique per novem fere lustra cum arte salutifera factitanda, tum alia ratione de civitate bene meritus est. Quae quanti BICKERUM fecerit, vel inde luculenter apparet, quod senatus municipalis ipsum anno 1787 Medicinae et Philosophiae Professoris honorarii titulo ornavit. Scripsit de lacte muliebri, de morbis nervosis, de variolarum insitione in coloniis Indicis, de aliis argumentis. WHYTTII etiam, PRINGLII, aliorum libros praeclaros in belgicum sermonem vertit. Permultis doctrinarum societatibus adscriptus, iisque non patriis modo, sed etiam exteris, ab ea, quae Bataviae floret, atque a Traiectina praemia reportavit.

[15]) De vita et meritis MATTHIAE VAN GEUNS conferatur inprimis elogium a cl. HERINGA conscriptum in opere periodico, cui titulus: *Algemeene Konst- en Letterbode voor het jaar* 1819 T. II. p. 339 seqq., tum etiam narratio BOUMANNI nostri in ipsius libro saepius a nobis laudato, et quidem T. II. p. 358 seqq. GEUNSIUS ille vir fuit ingenio, doctrina, nec minus industria morumque integritate conspicuus, qui cum artis usu, tum medicis informandis et vero scriptis monitisque de patria medicina quam optime meritus est. Anno 1735 Groningae natus ibique liberaliter educatus, primum in Groningana, deinde in Leidensi Academia, tum Lutetiae Parisiorum, postremo Amstelodami cum aliis, tum inprimis medicis disciplinis operam navavit, DOEVERENO, GAUBIO, SABATIERIO, LEVRETTO, CAMPERO praecipuis usus magistris. Anno 1761 summos in medicina honores in Academia Lugduno-Batava consecutus, tria fere lustra salutarem artem in natali factitavit. Inde ab anno 1776 usque ad 1815, quo rude donatus est, professoria dignitate medicinam docuit, primum Harderovici, deinde Traiecti, in utraque civitate Archiatri titulo ornatus. Obiit anno 1817, pauca relinquens, at egregia scripta, cum alia, tum inprimis commentationes de dysphagia

Digitized by Google

atque de dysenteria, quae praesertim anno 1788 in Gelria grassata est, binas Orationes *de civium valetudine reipublicae rectoribus inprimis commendanda*, utramque Harderovici habitam, itemque eam, qua munus Traiectinum auspicatus est, *de providentia politica, uno maximo civium in adversa valetudine praesidio.*

[16]) Quae de PARADISIO dixi, fidissimo GEUNSII amico, nituntur inprimis Opusculis ipsius Academicis, a filio, medico Leidensi, editis, parvi quidem voluminis illis, at vere aureis. Filius erat DAVIDIS PARADIJS, medici apud Amstelodamenses peritissimi, natus anno 1748, cognomine NICOLAUS appellatus. Linguarum literarumque, graecarum praesertim et latinarum studio ad omnem elegantiam excultus adque graviora etiam persequenda rite praeparatus in Academia Lugduno-Batava per integrum sexennium cum physicis, tum inprimis medicis disciplinis operam dedit, ducibus MUSSCHENBROEKIO, ALBINO (FRED. BERNH.), GAUBIO, aliis. Anno 1763 medicinae doctor creatus, Lutetiam Parisiorum se contulit, atque cum ibi, tum etiam Rotomagi artis peritiam complevit. Quo facto, rediit in patriam atque in ipsa metropoli quatuor lustra maximo cum civium applausu medicinam exercuit. Defuncto DOEVERENO, Leidam vocatus, inde ab anno 1784 cum institutione, tum exemplo suo civibus academicis permultum profuit. Classica non tantum eruditione, sed mira quoque iudicii subtilitate, incomparabili sermonis elegantia, humanitate, prudentia maximam nactus est eamque meritissimam famae celebritatem. Obiit anno 1812. Conff. HERM. TOLLII *Narratio de* NICOLAO PARADISIO atque N. G. OOSTERDYKII *Prolusio ad lectiones publicas*, utraque cum laudatis Opusculis in lucem edita, tum etiam CORN. PRUYS VAN DER HOEVEN Praefatio ad partem alteram libri primi *de arte medica*. L. B. 1838.

[17]) Quamquam SEBALDUS IUSTINUS BRUGMANS artem salutarem ipse non factitavit, multis tamen nominibus de patria medicina quam optime meritus est. Praeclara nimirum botanices, chemiae, zoologiae, aliarum disciplinarum naturae cognitionem spectantium institutione medicos futuros cum egregie praeparavit, tum ad optima quaevis inflammavit. Veterinariae medicinae turpiter olim a nostratibus neglectae vera iecit fundamenta. Res medica militum causa in Hollandia constituta BRUGMANSIUM habet auctorem praecipuum. Primariam denique patriae nostrae Universitatem infelicissimis temporibus doctrina, prudentia, facundia fortiter vindicavit. Anno 1763 Franequerae natus, in Academia Groningana Artium liberalium Magister, Philosophiae naturalis ac Medicinae Doctor creatus, eximio defenso *de puogenia* specimine, primum in natali, deinde Leidae miro cum applausu professorio munere functus est usque ad annum 1819, quo vivere desiit. Cf. SIEGENBEEK, *Gesch. der Leidsche Hoogeschool*, T. I. p. 386 seqq., T. II. p. 230 seqq.; tum inprimis Elogia, quibus praemia reportarunt H. C. VAN DER BOON MESCH et A. CAPADOSE, in opere, cui titulus: *Werken der Holl. Maatschappij van fraaije kunsten en wetenschappen*, T. VII. p. 2.

[18]) EVERHARDUS JANUS THOMASSEN A THUESSINK, Zwollanus, anno 1762 honesto genere natus, mature vel potius praematuro, si tenuem ipsius valetudinem spectamus, Gelricae civibus Academiae adscriptus, vicesimo iam aetatis anno Artium liberalium Magister et Philosophiae Doctor creatus est. Cathedram Franequeranam mox ipsi oblatam humaniter abnuit. Perrexit vero in studiis medicinae, primum Harderovici, GEUNSIO et FORSTENIO ducibus, deinde

Digitized by Google

Leidae, ubi DOEVERENUM, HAHNIUM, OOSTERDYKIUM et SANDIFORTIUM habuit praeceptores. Candidatorum in numerum receptus studiorum causa primum Lutetiam Parisiorum, deinde Londinum, postea Edinburgum petiit. In patriam redux summisque in medicina honoribus a senatu academico Lugduno-Batavo ornatus, per novem deinceps annos, partim Zwollae, partim et inprimis quidem Hagae Comitis artem salutarem religiose tactitavit. Lautis conditionibus Moguntiam vocatus, ubi Professoris et Archiatri dignitate frueretur, abnuit. Abnuit itidem cathedram Harderovicenam a GEUNSIO praeceptore relictam. Accepit vero Groninganam anno 1794, eamque quinque amplius lustra ita ornavit, ut nemine fuerit inferior. Excelluit eruditione, solertia, industria. Scripsit et edidit multa eaque praeclara, practici potissimum argumenti. Atque cum his, tum disciplina sua, nec minus consuetudine et familiaritate, quam et in patria nostra et in Gallia, Germania, aliis regionibus cum optimatibus et eruditis, inprimis medicis, contraxerat, ita inclaruit famamque collectam tam egregie conservavit, ut ad extremum usque vitae honoribus cumulatus sit, quos inter tales, qui raro viris doctis contingunt. Sexagesimum aetatis annum vix exegerat, quum valetudinis causa rude donatus est, idque, singulari Regis augustissimi favore, salvo honore et stipendio. Obiit anno 1832. Cf. SIBRANDI STRATINGH *Oratio*, *publice habita Groningae a. d.* IX *Octobris* CIƆIƆCCCXXXII, *cum magistratum Academicum deponeret*, p. 18 seqq.

[49]) CONRADUS GERARDUS ONTIJD, e pago Naaldwijk Hollandus, unus e doctissimis fuit iisdemque experientissimis patriae nostrae medicis. Anno 1776 natus, postquam a solo patre, RUDOLPHO ONTIJD, verbi divini ministro, ea omnia didicerat, quibus ad academicas lectiones rite praepararetur, Leidae cum aliis, tum inprimis medicis disciplinis operam navavit, SANDIFORTIO (EDUARDO scilicet), OOSTERDYKIO, PARADISIO, BRUGMANSIO atque PUTEANO (DU PUI) praecipuis usus praeceptoribus. Anno 1797, publice defensa dissertatione *de morte et varia moriendi ratione*, Medicinae Doctor creatus Londinum petiit, ut in amplis huius civitatis nosocomiis maiorem sibi pararet cum chirurgiae, tum etiam artis obstetriciae peritiam. In patriam redux Hagae Comitis per longam annorum seriem artem salutarem exercuit, felix omnino meritis. Neque tantum opem ferendo laborantibus, sed etiam scribendo scriptisque in lucem edendis magnam cum apud nostrates, tum apud exteros nactus est famae celebritatem, quae quemadmodum a Rege augustissimo, sic ab honoratioribus quibusvis atque a praecipuis doctrinarum societatibus luculenter probata fuit. Praeter dissertationem iam laudatam, multis nominibus praeclaram, quae Anglicum in sermonem translata fuit, scripsit de insitione variolae vaccinae, de phthisi pulmonum, de cholera Asiatica, de suicidio, de vi vitali cum aliis viribus comparata, de rebus medicis in patria nostra ordinandis, de aliis. Obiit anno 1844.

[50]) ANTHONIUS MOLL, anno 1786 natus in oppido Maassluis, ubi pater ipsius in coetu reformato sacrorum antistes erat, iisdem in Academia Lugduno-Batava, quibus ONTYDIUS, usus est adeoque optimis magistris. Anno 1806, defensa dissertatione *de theoria sic dicta incitationis* summos in arte salutari honores consecutus, primum per quatuor lustra Neomagi, deinde Arnhemiae medicinam feliciter exercuit, doctrina, humanitate, ardore insignis. Praeter multa Diariis inserta, illi praesertim, cui titulus: *Practisch Tijdschrift voor de geneeskunst*

Digitized by Google

in al haren omvang, *door* A. MOLL *en* C. VAN ELDIK, duo edidit opera primaria, quorum alterum inscribitur: *Handboek tot de leer der teekenen van gezondheid en ziekte*, alterum: *Leerboek der geregtelijke geneeskunde*. Scripsit praeterea de contagiis acutis, de cholera Asiatica, de balneo marino, de aliis.

[61]) GUILIELMUS FREDERICUS BÜCHNER, Reinhemia-Hassus, anno 1790 natus, cum rei medicae militari destinatus esset, primum patruo, peritissimo Campensium medico eidemque Anatomes et Chirurgiae Lectori in disciplinam traditus, deinde in Academia Lugduno-Batava studiis operam dedit. Anno 1796 inferiore, 1799 vero altiore dignitatis gradu medicis militaribus adscriptus, duobus annis post in universitate Wurzburgensi Medicinae et Chirurgiae Doctor creatus est. Salvo honore a militia dimissus inde ab anno 1802 cum in civitate Goudana, ubi domicilium collocaverat, tum in pagis et oppidis vicinis artem salutarem optimo cum successu factitavit. Practico prae multis ingenio praeditus, eminuit inprimis singulari cum diagnostices, tum etiam therapeutices peritia. Neque aegris tantum curandis, sed etiam libris scribendis variisque muneribus fungendis per longam annorum seriem de civitate quam optime meritus est. E scriptis, quorum plura praemiis ornata sunt a doctrinarum societatibus, quibus adscriptus erat, inprimis laudari merentur commentationes de praesidiis, quibus noxae praeverti possint a solis recens exsiccatis metuendae deque morbis in Hollandia septentrionali inde ortis, alia de motu intestinorum antiperistaltico, atque opus primarium, cui titulus: *Geneeskundig Handboek voor beginnende kunstoefenaren.*" Anno 1855 defuncti memoriam conservarunt cognati gratique amici statua ponenda in nosocomio Goudano.

[62]) MICHAËLIS IACOBUS MACQUELIJN, unus ex aestimatissimis, quos Leidae habui, praeceptoribus, anno 1771 Delphis Batavorum natus, postquam in Academia Lugduno-Batava Medicinae Doctor creatus erat, eorumdem ac triumviri proxime memorati professorum discipulus, triginta fere annos artem salutarem in urbe patria factitavit, idque magno cum civium applausu. Anno 1824 KRAUSSIO, viro clarissimo, suffectus in eadem, quae ipsum foverat, universitate medicinam docuit, donec aetatis causa rude donaretur. Obiit anno 1852. Vir fuit integerrimus, multis ingenii dotibus excellens, medicus et pharmaceuticus experientissimus, agilis, hilaris, doctor academicus industrius, scriptor copiosus. Praeter dissertationem *de vomitu*, qua summos in medicina honores consecutus est, commentationem scripsit *de lenta et difficili dentitione*, quae praemium reportavit ab Academia regia Madritensi. Cum doctt. A. VAN STIPRIAAN LUISCIUS, C. G. ONTIJD et J. VAN HEEKEREN horreum medicum edidit belgice dictum *Geneeskundig Magazijn*, cui plures inseruit observationes a semet ipso factas. Etiam acta societatis Hornanae, cui titulus: *Vis unita fortior*, ne de aliis loquar, continent quaedam Macqueliniana. Cf. G. J. VERDAM Oratio, qua magistratum Academicum deposuit, in Ann. Acad. 1852—1853.

[63]) HENRICUS FRANCISCUS THIJSSEN, Amstelodamensis, primum Athenaei, quod metropolin ornat, deinde Academiae Lugduno-Batavae probatissimus alumnus, in physicis SWINDENIO, in medicis inprimis BONNIO, VROLIKIO, PARADISIO praeceptoribus usus, anno 1810 Leidae Medicinae doctor creatus est. Artem exercuit Amstelodami, neque exercuit tantum, sed

Digitized by Google

etiam docuit, professoria dignitate duobus ante mortem annis Scholae Clinicae recens constitutae adscriptus. Opera, quae reliquit, praeclara: Specimen Academicum *de σφυγμολογία seu pulsus doctrina*, Commentatio historica de morbis patriae nostrae endemiis, Dissertatio de febribus autumnalibus Amstelodamo propriis, Oratio de NICOLAO TULPIO, alia, quemadmodum industriam et humanitatem, sic ingenii praestantiam ac veram eruditionem auctoris satis superque probant. Obiit anno 1830, aetatis XLII. Cf. *Algemeene Konst- en Letterbode voor het jaar* 1830, p. 35 seq.

[64]) ALEXANDER NUMAN, anno 1780 natus in pago Groningano Baflo dicto, ubi pater ipsius sacrorum antistes erat, privata disciplina ad academicas lectiones praeparatus, in universitate Groningana, DRIESSENO praesertim et THUESSINKIO ducibus, in artem et scientiam medicam incubuit summosque ibidem honores anno 1804 consecutus est. Octodecim deinceps annos in florentissimo pago Hoogezand aliisque vicinis et medicinam et artem obstetriciam factitavit, simulque studiis operam dedit cum aliis, tum etiam oeconomicis et veterinariis. Quorum quum fama percrebruisset, anno 1822 Scholae Veterinariae Traiecti constitutae praefectus est, professoria dignitate ornatus. Et ab eo quidem inde tempore usque ad annum 1850 cum regundo, tum docendo, nec minus scribendo de patria disciplinisque optime meritus est. Quod uti Rex augustissimus, ita complures doctrinarum societates nullique non docti bonique luculenter agnoverunt. Obiit anno 1852. De vita et scriptis NUMANNI, humanitate pariter ac doctrina conspicui, conferantur inprimis ea, quae GUIL. VROLIK, vir clarissimus, enarravit in actis Academiae Regiae Scientiarum, (*Verslagen en Mededeelingen der Kon. Academie van Wetenschappen*). T. I. p. 91 seqq.

[65]) FREDERICUS SIGISMUNDUS ALEXANDER, Neomagensis, in Academia Lugduno-Batava cum aliorum, tum inprimis BRUGMANSII disciplina excultus et eruditus, unus e doctissimis fuit, quibus patria nostra gloriatur; medicis militaribus, de millenis aegrotantibus, de Schola Traiectina, cui quatuordecim annos praefuit, de ipsa, quam docuit, arte scriptis praeclaris optime meritus. In medicina quidem Leidae summos consecutus est honores, idque defensa dissertatione *de tumoribus nervorum*, chirurgiae vero doctor honoris causa creatus est a Senatu Traiectino. Ad altissimum fere dignitatis gradum in medicina militari pervenit, ipsiusque Academiae Rheno-Traiectinae Professor honorarius dictus est. Anno 1843 rude donatus Amstelodamum migravit ad docendum medicinam in Schola Clinica ibidem florente. At sequente iam obiit, aetatis quinquagesimo octavo. Publice huius viri memoriam celebravit HERMANNUS BOUMAN, in Oratione anno 1845 habita, quum Academiae Rheno-Traiectinae regundae munus iterum poneret. Cui quidem Orationi subiunxit notationem scriptorum, quae in lucem edenda curavit ALEXANDER.

[66]) IANUS ISAACUS WOLTERBEEK, Rheno-Traiectinus, anno 1773 natus, missis, quibus a patre, sacrorum antistite, destinatus fuerat et operam aliquamdiu navaverat theologicis studiis, duce praesertim GEUNSIO celeberrimo, medicinam didicit. Anno 1796, defensa dissertatione *de gangraena*, summis honoribus ornatus, artem salutarem dimidium ultra saeculum Traiecti factitavit, eandemque inde ab anno 1817, quo DYLIO suffectus est, ad 1839, quo munus professorium abdicavit, in hac Academia docuit. Obiit anno 1853. Medicus

Digitized by Google

fuit cum doctrina, tum usu consummatus, animi candore probitateque candidis et probis acceptus. Praeter dissertationem landatam binasque Orationes Academicas, alteram *de natura observanda et prudenter imitanda, summo medici officio*, alteram *de naturae humanae constantia ad praestantiam medicinae vindicandam et vero ad ipsam medicorum fortitudinem sustinendam egregie adhibenda*, nulla scripta edidit. Cf. GER. IO. MULDERI Oratio, a. 1854 habita, quum magistratum academicum deponeret; tum etiam Memoria, quum vernaculo sermone conscripsit doct. H. J. BROERS, edita in opusculo, cui titulus: *Utrechtsche Studenten-Almanak voor het jaar* 1854.

[67]) IACOBUS VOSMAER, Haganus, eximius partim Gelricae, partim Traiectinae Academiae alumnus, postquam artem salutarem cum Harlemi, tum etiam Zutphaniae septem et quod excurrit annos, feliciter factitaverat, primum in Athenaeo Harderoviceno, deinde in Academia Rheno-Traiectina magno cum peritorum applausu medicinam docuit. Vir fuit eruditissimus, animi simplicitate, iudicii acumine, industria, humanitate, aliis nominibus praeclarus. Literis excultus, in physicis non minus quam in medicis versatus, factis scriptisque de civitate egregie meritus est. Quantum autem discipulis profuerit, eleganter exposuit GER. IO. MULDER in epistola ad FRANC. ADR. SNELLEN, virum doctissimum, praemissa VOSMAERII *Institutionibus Semioticis*, quas anno 1828 edendas curavit. Obiit anno 1824, aetatis quadragesimo secundo. Cf. J. F. L. SCHRÖDER Oratio in Ann. Acad. Rheno-Traiect. a. 1824—1825, tum etiam G. NIEUWENHUIS, *Alg. Woordenb. van Kunst. en Wet.* in voce.

[68]) NICOLAUS CORNELIUS DE FREMERY, e pago Overschie Hollandus, praestantissimus cum aliorum, tum inprimis BRUGMANSII, SANDIFORTII, VOLTELENI ac PARADISII discipulus; in Academia Lugduno-Batava medicinae doctor creatus, inde ab anno 1795 usque ad 1844, aetatis 75, quo vita functus est, et civitatem et provinciam et Academiam Traiectinam perquam ornavit. Non tantum enim artem salutarem feliciter exercuit rebusque medicis egregie praefuit, sed varias cum physicas, tum medicas disciplinas accurate docuit easque scriptis praeclaris auxit et perfecit. »Ea fuit ille πολυμαθίᾳ," sunt verba BOUMANNI, disertissimi FREMERYI laudatoris, »ea eruditionis copia ac varietate, ut ipsum adspiciens sponte »imaginem mihi repraesentarem antiquorum illorum, qui aureum Reipublicae nostrae seculum illustrarunt, Medicorum," Cf. HERM. BOUMAN Oratio supra laudata, p. 43. seqq., tum etiam biographia, quam ALB. KOPSIUS, vir doctissimus, inserendam curavit operi periodico, cui titulus: *Nederl. Lancet* A. VII. p. 495 seqq.

[69]) BERNARDUS FRANCISCUS SUERMAN, Harlemensis, unus e dilectissimis GEUNSII discipulis, vir singularis, medicus humanissimus, chirurgus dexterrimus, dimidium amplius saeculum artem salutarem cum factitando, tum tradendo, quemadmodum de civitate, sic etiam de patria medicina et vero de binis, quas ornavit, Academiis, Gelrica scilicet et Traiectina, quam optime meritus est. Filius ipsius natu minor, ALEXANDER CAROLUS GUILIELMUS, quo meliorem alumnum Academia Rheno-Traiectina nunquam habuit, tantis excelluit ingenii dotibus, tam copiosa tamque accurata doctrina, ut maxime dolendum sit, mortem praematuram impedivisse, quominus et almae matri, cui recens Medicinae Professor adscriptus erat, et vero patriae disciplinisque, quod idonei harum rerum iudices omnes exspectabant, permul-

Digitized by Google

tum prodesset. Atque de hoc quidem, anno 1840, aetatis tricesimo secundo, demortuo, cff. P. O. C. VORSSELMAN DE HEER, *Levensberigt van den Hoogleeraar A. C. G. Suerman*, in opusculo, cui titulus: *Utrechtsche Studenten-Almanak voor het jaar* 1841; HENR. EGB. VINKE Oratio, anno 1840 habita, quum magistratu Academico abiret, eaque, quam cl. ROVERS pronunciavit, d. XVII Iunii a. MDCCCLXI, qui natalis erat Acad. Rheno-Traiectinae ducentesimus vicesimus quintus. Patri, anno superiore defuncto, et ipse nuper parentavi in Memoria, quam cives academici typis describendam curarunt, et vero ROVERSIUS iustissimos tribuit honores in Oratione, qua Rectionis munus anno 1862 posuit.

[70]) De vita FALCOBURGII, quo nomine ADRIANUS VAN VALKENBURG significari solet, pauca modo cognita sunt. Constat, ipsum a. 1581 honestis parentibus Leidae natum, quadragenarium demum in Academia Lugduno-Batava summos in medicina honores consecutum esse; quatuor autem annis ante, PETRO PAAWIO defuncto, iam anatomicas, continuo vero postquam doctor creatus esset, pro REGNERO BONTIO medicas etiam scholas habuisse; ab anno denique 1624 usque ad 1650, quo decessit, Professoris Chirurgiae titulo cum hanc, tum etiam Anatomen diligenter tradidisse. Quamquam chirurgicae FALCOBURGII lectiones tantummodo theoreticae fuisse videntur, ex titulo tamen, quo primus omnium ornatus est, equidem suspicor, vi vocis ipsum chirurgum fuisse. Cf. ED. SANDIFORT, *Mus. Anat. Acad. Lugduno-Bat. Introduct.* p. VII. seq., G. C. B. SURINGAR, *Stichting der school voor klinisch onderwijs te Leiden enz.* in opere iam laudato, cui titulus: *Nederl. Tijdschrift voor Geneesk.*, Jaarg. 1862.

[71]) IOHANNES HORNE, Amstelodamensis, literarum disciplinarumque studiis, tum etiam hominum usu partim in patriis universitatibus, Leidensi scilicet et Traiectina, partim in exteris ad omnem humanitatem informatus idemque eruditissimus, in Academia Lugduno-Batava inde ab anno 1651 praesertim quidem anatomen, tum vero chirurgiam quoque aliasque disciplinas ad mortem usque optime docuit, miraque scrutandi diligentia laborisque constantia, quemadmodum discipulis, sic medicis scientiis multum profuit. Obiit a. 1670, aetatis XLIX. De vita et scriptis HORNII cff. ED. SANDIFORT et G. C. B. SURINGAR, l. l. l. l.

[72]) FRIDERICUS RUYSCH, Haganus, anno 1638 honesto genere natus, in Academia Leidensi cum aliis, tum inprimis HORNIO, SYLVIO et LINDENIO praeceptoribus usus, in Franequerana summos in arte salutari honores consecutus, postquam in urbe patria medicinam factitaverat, inde ab anno 1667, primum Praelectoris, mox autem Professoris titulo cum Anatomen, tum etiam Chirurgiam, postea quoque Botanicen docuit in Athenaeo Amstelodamensi, idque per tredecim fere lustra. Quemadmodum artis, inprimis chirurgicae, usu, sic egregia docendi methodo, sic et inventis et accurate descriptis et vero singulari vasorum, etiam subtilissimorum, implendorum peritia, Museis, quae confecit, praeclaris, aliis multis maximam eamque meritissimam sibi peperit cum apud aequales, tum apud posteros etiam famam. Obiit anno 1731. Cff. WAGENAAR, *Amsterdam in zijne opkomst enz.* T. III. p. 240, PORTAL, *Hist. de l'Anat. et de la Chir.* T. III. p. 259 seqq., *Dict. des Sciences méd.*, *Biograph. méd.* T. VII. p. 76 seq., DAV. IAC. VAN LENNEP, *Illustris Amstelod. Athen. Memorab.*, p. 140 seq.

Digitized by Google

[73]) IOHANNES SWAMMERDAM, Amstelodamensis, anno 1637 natus, unus item ex optimis HORNII discipulis, anno 1667 Leidae medicinae doctor creatus, et aliis nominibus de anatome humana bene meritus est, et vero perficienda recens inventa vasorum in cadaveribus implendorum ratione. Praesertim autem inclaruit studiis entomologicis, quorum fructus praecipuos, addita vitae descriptione, BOERHAAVIUS edidit in opere cultioribus quibusvis notissimo, cui titulus: *Biblia naturae* L. B. 1737. Decessit melancholicus anno 1680, hallucinationibus religiosis consumtus. De hoc aliisque eiusdem aevi anatomicis conf. A. A. SEBASTIAN, Oratio *de Batavorum saeculo decimo septimo de anatome meritis atque inventis in ea praestantissimis*, in *Ann. Acad. Gron.* a. 1831—1832. De iisdem et citerioribus quoque A. VAN DER BOON, *Geschiedenis der ontdekkingen in de Ontleedkunde van den mensch gedaan in de Noordelijke Nederlanden, tot aan het begin der negentiende eeuw. Utrecht* 1851.

[74]) REGNERUS DE GRAAF, Schoonhoviensis, anno 1641 natus, postquam in Academia Lugduno-Batava, ducibus praesertim HORNIO et SYLVIO, medicis disciplinis operam navaverat, primum Andegavensem petiit, ubi summis honoribus ornatus est, deinde Parisinam. In patriam redux inprimis Delphis Batavorum artem salutarem factitavit usque ad annum 1673, quo fato functus est. Inclaruit maxime meritis anatomicis, cum aliis, tum praesertim organa genitalia spectantibus. Siphonis usum ad vasa sanguinem vehentia implenda primus GRAAFIUS docuit.

[75]) NICOLAUS HOBOKEN, anno 1632 Traiecti natus, celebris DIEMERBROECKII discipulus, ut matheseos et medicinae, ita praesertim anatomes, etiam comparatae, peritissimus fuit, quod tum scriptis apparuit, binis inprimis de placenta opusculis, tum scholis, quas primum in Athenaeo Steinfurtensi, deinde in Gelrica Academia habuit, Matheseos et Medicinae Professoris titulo ornatus. Anno 1672 metu Francicorum percussum patriam ipsum reliquisse, docuit BOUMANNUS in opere saepius laudato T. I. p. 223. Cf. etiam BURMAN, *Traj. erud.* p. 144 seqq.

[76]) De CAROLO DRELINCURTIO (DRELINCOURT), cum ceterarum medicinae partium, tum inprimis anatomes, in qua RIOLANUM praeceptorem habuit, peritissimo, conferatur laudatio BOERHAAVII Opusculis medicis Drelincurtianis ab ipso collectis et editis praemissa; tum etiam SANDIFORTII *Introd. ad Mus. Anat. Acad. Lugduno-Bat.* p. IX seq., et PAQUOT, l. l. T. 17, p. 318 seqq. Anno 1633 Lutetiae Parisiorum natus, in universitate Monspeliensi summos in medicina honores consecutus, primum medici militaris titulo primarii ex auctoritate Ludovici XIV in Flandria, deinde Parisiis artem factitavit, Regiis etiam medicis adscriptus. Inde ab anno 1668 in Academia Lugduno-Batava munere professorio functus est ibique quinque amplius lustra praesertim anatomen docuit, idque maximo cum applausu, singularem insuper ob artis salutaris peritiam ab optimatibus ipsoque rege GUILIELMO III honoribus ornatus. Obiit a. 1697.

[77]) ANTONIUS NUCK, Harderovicenus, partim Gelricae, partim Leidensis Academiae alumnus, in hac quidem a. 1677 Medicinae doctor creatus, postquam integrum decennium primum, ut videtur, Delphis Batavorum, deinde Hagae Comitum et artem salutarem factitaverat et titulo Professoris ornatus cum anatomen, tum verisimiliter etiam chirurgiam docue-

Digitized by Google

rat, Leidam vocatus est ibique maximo discipulorum emolumento cathedram anatomicam occupavit usque ad annum 1692, quo praematura morte patriae subreptus est. Inclaruit inprimis disquisitionibus systematis lymphatici et maxime quidem admirabili vasorum lympham vehentium implendorum peritia, suo tempore prorsus inaudita, neque a posteris unquam superata. Cft. J. DE RIEMER, *Beschrijving van 's Gravenhage*, I. 2. p. 610, SANDIFORT, l. l. p. X seq., BOUMAN, l. l. T. I. p. 365.

[78]) GODEFRIDUS BIDLOO, Amstelodamensis, medicus eruditus, anatomicus idemque chirurgus dexterrimus, poëta laudatus, postquam artem salutiferam in urbe patria magna cum civium approbatione factitaverat, NUCKIO successit, et primum quidem Hagae Comitum, deinde Leidae, ubi anno 1713, aetatis LXV, defunctus est. Singulari GUILIELMI III favore, ut deinceps ipsius Archiater lectus est, ita pridem nosocomiis militaribus curandis, primum in patria nostra, deinde quoque in Anglia praefectus fuit. Inter scripta, quae reliquit, eminet opus anatomicum splendidis iconibus praeclarum. Cff. DE RIEMER et SANDIFORT, l. l. l. l.

[79]) De IOHANNE IACOBO RAVIO (RAU) Badensi, qui post varios casus, post tot discrimina rerum, quot paucis hominibus eveniunt, in Academia Lugduno-Batava summos in medicina honores consecutus, cum artem, inprimis chirurgicam, factitando, tum praesertim anatomen docendo maximam nactus est famae celebritatem, conferatur accuratissima BERNHARDI SIEGFRIEDI ALBINI narratio, quam SANDIFORTIUS inseruit *Introductioni* operis saepius laudati, p. XIV sqq. Amstelodami quatuor fere lustra floruit, Lugduni-Batavorum in locum BIDLOI suffectus sexennium tantum degit. Obiit scilicet anno 1719, aetatis LII, diuturno cerebri morbo fractus. Praeter specimen academicum egregium *de ortu et regeneratione dentium*, anno 1694 defensum, pauca scripta reliquit, at vero, quemadmodum de discipulis atque laborantibus, tum aliis, tum inprimis calculosis, sic etiam de Theatro anatomico Leidensi quam optime meritus est.

[80]) E nobili ALBINORUM gente quatuorviri ingenio, doctrina, moribus praeclari multum contulerunt ad artem et scientiam medicam, quam ipsi Leidae praesertim didicerunt, in patria nostra vindicandam. Pater, BERNHARDUS ALBINUS, (sic avi patruelis, PETRUS ALBINUS, Poëseos et Matheseos Professor Wittebergensis, gentilitium WEISS transnominaverat), BERNHARDUS igitur duoque ipsius filii, BERNHARDUS SIEGFRIEDUS et FREDERICUS BERNHARDUS, Leidensem ornarunt cathedram, tertius, CHRISTIANUS BERNHARDUS, alter a natu maximo, Rheno-Traiectinam. Quamquam BERNHARDUS, Dessaviensis ille, a. 1653 natus, carus prae omnibus, ut e BOERHAAVIO cognovimus, DRELINCURTII discipulus, anatomes etiam peritissimus fuisse videtur, inprimis tamen excelluit ipsa, quam vario titulo factitavit et docuit quoque, medicina. Filii vero, licet patris exemplum secuti nullam medicae disciplinae partem neglexerint, imo singulis vel tradendis vel in aegrotantium salutem adhibendis de discipulis ipsaque civitate quam optime meriti sint, praesertim tamen inclaruerunt anatomes scientia. Eminuit autem inter fratres BERNHARDUS SIEGFRIEDUS, cum aliorum, tum patris et BOERHAAVII, praesertim vero RAVII discipulus, neque aequales tantum et priores, sed plerosque etiam e posteris anatomicis multis nominibus superavit. Atque de hoc quidem eiusque meritis conferatur inprimis SANDIFORTII *Introductio* saepius laudata p. XXII seqq.

Digitized by Google

Natus est anno 1697 Francofurti ad Viadrum, ubi pater tunc temporis Medicinae Professor erat, mortuus Lugduni Batavorum a. 1770. FREDERICUS BERNHARDUS, Leidensis, a. 1715 natus, ut anatomes, sic chirurgiae quoque peritissimus, postquam doctorum in numerum adscriptus erat, Amstelodami per quinquennium artem factitavit. Quo quidem exacto, primum Lectoris, deinde Professoris titulo cum Anatomen, tum etiam Chirurgiam in Academia Lugduno-Batava docuit. Obiit a. 1778. De hoc etiam conferatur SANDIFORTIUS l. l. — CHRISTIANUS BERNHARDUS denique, Berolinensis, sub finem saeculi superioris natus, a. 1722 summos in medicina honores consecutus, sequenti Medicinae, Anatomes et Chirurgiae Professor creatus est in Academia Rheno-Traiectina, quod munus optime gessit usque ad annum 1747, quo senatui urbano adscriptus a docendo destitit. Vita cessit a. 1752. De patre, BERNHARDO ALBINO, conferatur oratio funebris a BOERHAAVIO habita d. XXII Sept. a. MDCCXXI, in ipsius *Opusculis* a. 1738 Hagae Comitum editis, p. 44 seqq.

[41]) Binos significavi Professores Leidenses, patrem et filium, EDUARDUM scilicet et GERARDUM SANDIFORT, hunc quidem Leidensem, illum vero Dordracenum, utrumque singulari cum variae doctrinae copia, tum inprimis anatomes peritia, de discipulis, de Academia, de scientia, quam tradiderunt, optime meritum. Atque de hoc quidem, cuius institutione cum multis ex optimis patriae medicis frui mihi contigit, anno 1848, aetatis septuagesimo, defuncto, qui in anatomicis patrem celeberrimum, in ceteris disciplinis OOSTERDYKIUM, PARADISIUM, PUTEANUM et BRUGMANSIUM habuit praeceptores, conferatur inprimis *Memoria*, quam edidit cl. GER. CONR. BERN. SURINGAR. De EDUARDO vero, praeclaro scholae Albinianae alumno, anno 1742 nato, 1814 mortuo, praeter ea, quae notarunt TE WATER in Narratione supra laudata et KEMPER in Oratione, qua magistratum academicum anno 1816 deposuit, SIEGENBEEK, l. l. tum T. I. passim, tum inprimis T. II. p. 219 seq., atque G. SANDIFORT in *Introd. ad Mus. Anat. Acad. Lugduno-Bat.* Vol. III. p. I seqq.

[42]) PETRUS CAMPER, Leidensis, anno 1722 natus, in physicis disciplinis MUSSCHENBROEKII et 'S GRAVESANDII, in medicis inprimis BERNHARDI SIEGFRIEDI ALBINI, GAUBII et ROYENI probatissimus alumnus, postquam summos et in Philosophia et in Medicina consecutus erat honores atque acquisitam scientiam in exteris universitatibus perfecerat, primum in Academia Franequerana, deinde in Illustri Amstelodamensium Athenaeo, postea in Academia Groningana cum alia, tum praesertim anatomen et chirurgiam egregie docuit. Anno 1787 concilio status adscriptus Hagam Comitum migravit ibique biennio post defunctus est. Vir fuit ingenio, doctrina, prudentia insignis, de anatome tam humana quam comparata, de pathologia, de chirurgia aliisque disciplinis factis scriptisque meritissimus. Memoriam ipsius celebrarunt filius, ADR. GILLES. CAMPER, in opusculo, cui titulus: *Levensschets van Petrus Camper*, Leeuw. 1791, IO. MULDER, in Oratione *de meritis Petri Camperi in anatomiam comparatam*, Gron. 1809, PETR. HENDRIKSZ, in Orat. *de Chirurgorum nostratium laudibus, optimis excolendae artis chirurgicae incitamentis*, p. 12 seqq., COLLOT D'ESCURY, l. l. T. VII p. 451 seqq. alii. Cff. etiam *Biograph. médicale*, *Biographie Univers.* et NIEUWENHUIS, *Alg. Woordenb. van Kunst. en Wetenschapp.*, in voce.

[43]) ANDREAS BONN, Amstelodamensis, eodem anno natus, quo BOERHAAVIUS vita cessit,

Digitized by Google

partim in Athenaeo patrio, partim in Academia Lugduno-Batava studiis operam dedit, in physicis MUSSCHENBROEKII, in medicis ROËLLII, CAMPERI huiusque praeceptorum egregius discipulus. Anno 1763, defensa dissertatione celeberrima *de continuationibus membranarum*, summis in medicina honoribus ornatus, postquam Lutetiae Parisiorum ad maiorem excultus erat artis salutaris peritiam, illam quidem Amstelodami feliciter exercuit, insuper vero ab anno 1771 ad senectutem usque ibidem Anatomes et Chirurgiae Professoris munere tam egregie functus est, ut ad famam Athenaei, quinimo patriae vindicandam multum omnino contulerit. Obiit octogenarius a. 1818, quemadmodum discipulis, quos informavit, sic etiam scriptis praeclaris et vero institutis fructuosis, quorum vel auctor vel vindex fuit religiosissimus, posteritati commendatus. Cf. FRANC. VAN DER BREGGEN, Corn. fil. *Oratio in memoriam Andreae Bonn*, cet., in *Ann. Acad. Lugd.-Bat.* A. 1819—1820, supra laudata LENNEPII Oratio eiusdemque Annotatio in *Illustr. Amstel. Athen. Memorab.* p. 206, 257 sqq.

[84]) IANUS BLEULAND, summus, siquis alius, anatomicus, in vasculis minimis implendis exercitatissimus, medicus praeclarus, Lucinae minister experientissimus, prudentia non minus quam audacia praecellens, cum artem factitando, tum etiam docendo, nec minus scribendo atque Museum conficiendo celeberrimum, subtilioris anatomes cum humanae, tum comparatae adeoque physiologiae quoque studio quam maxime accommodatum, de civitate, de academiis, de republica denique literaria optime meritus est. Anno 1756 Goudae natus ibique ad institutionem academicam rite praeparatus, Lugduni-Batavorum cum aliis, tum inprimis physicis et medicis disciplinis operam navavit, in his quidem FRED. BERN. ALBINO, EDUARDO SANDIFORTIO, DOEVERENO, HAHNIO atque OOSTERDYKIO praeceptoribus usus. Anno 1780, publice defensa dissertatione *de difficili aut impedita alimentorum deglutitione*, Medicinae doctor creatus, artem salutiferam in urbe patria pagisque vicinis feliciter exercuit, idque undecim circiter annos. Quibus exactis, primum in Gelrica, deinde in Traiectina universitate professorio munere functus est, donec aetatis causa rude donaretur. Obiit anno 1838. Cf. RICH. VAN REES, Oratio *de Iano Bleulando* in *Annal. Acad.* 1838—1839. p. 141 seqq., tum etiam BOUMAN, l. l. T. II. p. 504 seqq.

[85]) GERARDUS VROLIK, sexaginta amplius annos cum civitatis, tum Illustris Athenaei Amstelodamensis decus et ornamentum, magnus magni BRUGMANSII, EDUARDI SANDIFORTII, PARADISII aliorumque praestantissimorum virorum discipulus, quaemadmodum artis salutaris peritia, sic copiosa eademque solida doctrina, iudicio subacto, singulari docendi facultate, industria, ardore patriam medicinam egregie vindicavit. Anno 1775 Leidae natus, inde a 1796 professoria dignitate ornatus varias deinceps disciplinas, botanicen, anatomen, physiologiam, artem obstetriciam plene cumulateque docuit, scriptisque praeclaris cum aliis, tum inprimis botanicis, anatomicis et pathologicis, nec minus Museo construendo iustam ubicunque celebritatem nacto ad scientiam provehendam permultum contulit. Obiit a. 1859.

[86]) GERBRANDUS BAKKER, Enchusanus, a. 1771 natus, partim Groninganae, partim Groninganae, partim Leidensis Academiae alumnus, in illa quidem praeter alios inprimis MUNNIKSIO, FORSTENO VERSCHURIO, DRIESSENIO, in hac vero iisdem fere, quibus VROLIKIUS usus praeceptoribus, postquam duodecim annos in urbe patria cum medicinam, tum etiam

Digitized by Google

artem obstetriciam factitaverat, primum Harlemi Lectoris titulo, deinde Groningae, professoria dignitate ornatus, non tantum anatomen et physiologiam, sed chirurgiam quoque et obstetriciam, inde ab anno 1811 usque ad 1828, quo vita cessit, egregie docuit. Vir fuit eximiis ingenii animique dotibus non minus quam eruditione praeclarus, naturae observator atque scrutator diligens et indefessus, scriptor acutus et concinnus. Cf. SEERPII BROUWER Oratio publice dicta die IX Octobris MDCCCXXVIII, cum Academiae Groninganae regundae munus solenni ritu deponeret, p. 19 sqq.

[87]) Alios scilicet, quam alia de causa in Oratione commemoratos. Cf. PETRI HENDRIKSZ *Oratio de chirurgorum nostratium laudibus, optimis excolendae artis chirurgicae incitamentis*, habita Groningae, a. 1819. Ipsum illum HENDRIKSZIUM, unum ex optimis fuisse patriae chirurgis, nec minus Academiam Groninganam ornasse, quam IAC. CORN. BROERSIUM, praeceptorem olim mihi dilectissimum, chirurgum item dexterrimum, Lugduno-Batavam, vix est quod moneamus. Vivos patriae medicinae statores, in patriis universitatibus informatos, numero permultos, meritis praeclaros, ut singulorum modestiae parcerem, omittendos esse censui.

[88]) Haec dicta sunt, eorum habita ratione, quae nuper audiveram ab aestumatissimo collega, IOH. IAC. VAN OOSTERZEE, quum Orationem pronunciaret *de Scepticismo, hodiernis theologis caute vitando.*

[89]) Variis autem in regionibus etiamnunc eiusmodi leges vigere, nuper memoravit cl. J. VAN DER HOEVEN in opusculo legumlatoribus nostris de meliori nota commendando, cui titulus: *Eenige mededeelingen omtrent de voorwaarden tot verkrijging der bevoegdheid tot uitoefening der Geneeskunde, die buitenslands vereischt worden.* Haarlem, 1862.

[90]) „Le jury a brisé les lieus qui unissaient les disciples aux maîtres. Avant 1830 on „voyait des élèves suivre des cours dans plusieurs facultés et obtenir successivement le „grade de docteur en droit, en médecine, en sciences, etc. etc.! Aujourd'hui que se passe-t-il? „On étudie en vue de l'examen seulement; le concours universitaire est à peu près aban„donné; le temps qu'il réclame des concurrents est regardé comme perdu; les élèves s'in„quiètent médiocrement de la science; le diplôme, rien que le diplôme, voilà la seule chose „digne de leurs efforts, et ce diplôme ils tâchent de l'obtenir avec la moindre peine „possible."

„Quel est l'objet des hautes études? C'est la culture de la science.

„Développer l'esprit scientifique, telle est la mission des universités.

„C'est la pierre de touche à laquelle on peut et on doit juger tout système d'instruction „supérieure. Favorise-t-il, développe-t-il le goût de la science? Il est bon, il faut y per„sister. Si, au contraire, l'esprit scientifique se perd, si la science est dédaignée, hâtez„vous de répudier le système, car il compromet l'avenir intellectuel du pays. Eh bien! „tel est le funeste résultat du système qui a été suivi en Belgique depuis 1835. La loi „de 1849 n'y a rien changé."

„Deux systèmes d'examen ont régi la Belgique depuis qu'elle possède des Universités. „A partir de 1817 jusqu'en 1835, les facultés des Universités de l'État avaient seules le

Digitized by Google

„droit de conférer des diplômes. Depuis 1835, la collation des grades appartient à un „jury. Le jury central qui a existé jusqu'en 1849, a été abandonné et remplacé par les „jurys combinés. Dans notre opinion, la loi de 1849 n'a pas remédié au mal, aux abus „qui s'étaient produits sous le systéme de la loi de 1835. Il est impossible de maintenir „le système de cette loi et il est également impossible de revenir à celui de 1835. Les „motifs qui l'ont fait abroger subsistent dans toute leur force. Que reste-t-il à faire? „Revenir à l'ancien système, rendre les examens aux universités de l'État.

„Les résultats des deux systèmes d'examen, mis en pratique depuis 1817, sont évidents. „Lorsque le Gouvernement des Pays-Bas organisa l'enseignement, tout était à faire. Après „moins de quinze ans, les établissements d'instruction supérieure qu'il avait fondés, étaient „dans l'état le plus prospère; il y avait, comme nous l'avons déja dit, une vie intellec- „tuelle qui promettait un bel avenir pour la science en Belgique. Voilà l'état dans lequel „le législateur de 1835 trouva l'enseignement.

„Depuis 1835, la décadence commence et va croissant, d'année en année. Il est plus „que temps de changer de système, si l'on veut relever les études et ramener l'esprit scien- „tifique, préparer à la Belgique un avenir intellectuel. Le moyen d'atteindre ce but, dans „notre opinion, c'est de rendre les examens aux facultés."

Haec et similia multa leguntur in sententiis diversorum Ordinum Universitatum Gandavensis et Leodiensis, quae relatae sunt in opere, cui titulus: *État de l'Instruction supérieure donnée aux frais de l'État. Rapport présenté aux chambres législatives par M. Piercot, Ministre de l'Intérieur. Bruxelles* 1854.

[31]) IACOBUS LUDOVICUS CONRADUS SCHROEDER VAN DER KOLK, Leovardiensis, d. 14 m. Martii a. 1797 natus, d. 1 m. Maii a. 1862 morbo dysenterico exstinctus est.

[32]) Cff. *Levensberigt van J. L. C. Schroeder van der Kolk door W. Vrolik. Overgedrukt uit het Jaarboek der Kon. Academie van Wetenschappen voor den jare* 1862. — *Eene eerezuil voor J. L. C. Schroeder van der Kolk, door den Hoogleeraar Mr. C. W. Opzoomer. Utrechtsche Volks-Almanak* 1863. — *Levensschets van J. L. C. Schroeder van der Kolk, Hoogleeraar in de Geneeskunde aan de Utrechtsche Hoogeschool, door Dr. J. P. T. van der Lith. Utrechtsche Studenten-Almanak* 1863.

[33]) Quod factum est d. 17 m. Iunii a. 1820, defensa dissertatione *de sanguinis vasis effluentis coagulatione.*

[34]) Primum Hornae medicinam exercuit, at paucos modo menses.

[35]) Accidit eheu, quod metui. Haesitantibus et vero recusantibus Batavis, Anglus rei peritus, cl. HENR. W. ACLAND, medicinae Professor Oxoniensis, liberale mandatum exsecutus emit Museum: partem pathologicam in usum Universitatis, quae Oxonii floret, physiologicam et ethnologicam in usum Cantabrigiensis. Pudeat eos, qui vel consilio vel auctoritate patrium illud studiorum adminiculum patriis medicis servare potuissent.

[36]) „PHILIPPE PINEL," inquit BOISSEAU, „est un des hommes qui ont le plus honoré la „France depuis la fin du siècle dernier. Il a fait tomber les chaînes dont on chargea les „aliénés, jusqu'au moment où, nouvel HOWARD, il implora la pitié publique en faveur

Digitized by Google

„d'êtres plus dignes de l'obtenir que ceux dont le philanthrope anglais adoucit le sort." *Biogr. méd.* T. VI. in voce. Cf. etiam SCHROEDER VAN DER KOLK, Oratio *de debita cura infaustam maniacorum sortem emendandi eosque sanandi, in nostra patria nimis neglecta. Ann. Acad. Rheno-Trai.* 1836—1837.

[97]) HENRICUS EGBERTUS VINKE, d. 20 m. Iunii a. 1794 natus, obiit d. 27 m. Augusti a. 1862 haemorrhagia cerebri.

[98]) *De Vuursche* et *Jutphaas.*

[99]) In opusculo, cui titulus: *Utrechtsche Studenten-Almanak voor het jaar* 1863, p. 158, seqq.

[100]) IANUM GERARDUM HULLEMAN significavi, Rheno-Traiectinum, Lugduni-Batavorum in Facultate Philosophiae theoreticae et Litterarum humaniorum Professorem ordinarium.

[101]) In *Allocutione ad commilitones*, quam *in memoriam Iani Gerardi Hulleman* habuit d. IV. m. Iunii MDCCCLXII. Ed. Lugd.-Bat. 1862.

Digitized by Google

INDEX SCRIPTORUM,

QUAE EDENDA CURAVIT

IACOBUS LUDOVICUS CONRADUS SCHROEDER VAN DER KOLK.

Responsum ad Quaestionem ab Ordine Disciplinarum mathematicarum et physicarum Academiae Groninganae propositam: *Quae sunt emolumenta praecipua, quae ex calorico latente seu ligato aëris et aquae ad oeconomiam animalem redundant?* Ann. Acad. Gron. 1815—1816.

Commentatio ad Quaestionem ab Ordine Medicorum Academiae Groninganae a. 1818 propositam *de sanguinis vase effluentis coagulatione.* Ann. Acad. Gron. 1818—1819.

Dissertatio physiologico-medica, qua exponitur *Sanguinis coagulantis historia cum experimentis ad eam illustrandam institutis.* Gron. 1820.

Waarneming eener Krankzinnigheid, ten gevolge van oorontsteking, met eene verklaring der waanzinnige denkbeelden, door de lijderes na hare herstelling opgegeven. (Commentariolum insertum operi, cui titulus: *Geneeskundige Bijdragen* door C. PRUYS VAN DER HOEVEN, J. LOGGER, C. G. C. REINWARDT en G. SALOMON. 1826. I. p. 147.)

Observationes Anatomico-pathologici et practici argumenti. Fasc. I. 1826.

Oratio *de Anatomiae pathologicae praecipue subtilioris studio utilissimo et ad morborum naturam intelligendam maxime commendando*, publice habita d. 2 m. Febr. a. 1827, quum Medicinae Professionem in Academia Rheno-Traiectina solenni ritu auspicaretur.

Over het verschil tusschen doode natuurkrachten, levenskrachten en ziel, 1835. (Haec Oratio a. 1837 in Germanicam, a. 1857 in Suecicam linguam translata fuit.)

Oratio *de debita cura infaustam maniacorum sortem emendandi eosque sanandi in nostra patria nimis neglecta*, publice habita d. 16 m. Martii a. 1837, quum magistratum Academicum deponeret. (Vernaculo sermone iterum edita sub titulo: *Over de verwaarloozing der vereischte zorg ter leniging van het lot der krankzinnigen in ons Vaderland.*)

Bedenkingen over de wetgeving nopens de krankzinnigen, 1839.

Over choroiditis als oorzaak van glaucoma, 1841. (Dissertatio edita in opere, quod inscribitur: *Verhandelingen van het Genootschap ter bevordering der Genees- en Heelkunde*, Dl. I. In Germanicam linguam translatam repetiit eandem VON AMMON in diario dicto: *Ophthalmologisch Zeitschrift.*)

Digitized by Google

Over het verband en de werking van ligchaams- en zielskrachten. I. Over het instinct. II. Over het verschil tusschen den psychischen aanleg van het dier en van den mensch. III. Over den invloed van het ligchaam op de ziel, 1843.

Statistieke Verslagen over den Staat der Krankzinnigen-gestichten in Nederland, 1844 seqq. (Auctoribus cl. SCHROEDER VAN DER KOLK et viro gravissimo C. L. FEITH.)

Natuurkundige nasporingen over de meerdere of mindere waarschijnlijkheid, dat het menschelijk geslacht van éénen stam afkomstig zij. (Haec disputatio a. 1845 edita est in opere periodico, quod inscribitur: *Waarheid en liefde.*)

Het aanwezen van veerkrachtige longvezels in sputa van phthisici als een zeker teeken van het bestaan eener vomica. (Commentariolum insertum operi periodico, quod inscribitur: *Nederlandsch lancet*, 1845. Exstat ipsius translatio Gallica, auctore doct. PLOEM, a. 1850 edita, itemque Anglica, quae a. 1857 prodiit, auctore doct. MOORE.

Over ziekten en ontaardingen der lever. (Disputatio, quae continetur Annotationibus dictis: *Aanteekeningen op de sectie-vergaderingen van het Utrechtsch Genootschap*, 1845.)

Mémoire sur l'anatomie et la physiologie du *gastrus equi*. (Commentatio promulgata in opere, quod inscribitur: *Verhandelingen der eerste klasse van het Koninklijk Nederlandsch Instituut*, Dl. XI. Amsterdam, 1845.)

Over het nut van de onderscheidene deelen der hersenen, en over de wijze, waarop de verschillende werktuigen van grijze stof door de witte stof of mergdraden onderling verbonden en als tot eenheid gebragt worden. (Disputatio edita in opere supra commemorato: *Aanteekeningen op de sectie-vergaderingen van het Utrechtsch Genootschap*, 1846.)

Over mala parasitica in het algemeen, en in het bijzonder over scirrhus, carcinoma, fungus medullaris en haematodes. (Hanc disputationem, a. 1847 publici iuris factam in Annotationibus Societatis Ultraiectinae saepius commemoratis, in Suecicam linguam transtulit et a. 1849 edidit F. WAHLGREN.)

Over het verband tusschen de gevoels- en bewegingszenuwen. (Commentatio a. 1847 promulgata in opere periodico, quod inscribitur: *Tijdschrift voor de Wis- en Natuurkundige Wetenschappen van het Koninklijk Nederlandsch Instituut.*)

Bijdrage tot de Anatomie van den *Stenops Kukang*. (Hoc scriptum continetur opere periodico: *Tijdschrift voor Natuurlijke Geschiedenis en Physiologie*, 1847.)

Over het fijnere maaksel van het zenuwstelsel, en wel bijzonder van de grijze stof. (Disputatio laudatis Annotationibus Societatis Ultraiectinae inserta a. 1848.)

Nasporingen omtrent vaatvlechten bij onderscheidene diervormen. (Haec commentatio, quae praeter KOLKIUM etiam GUILIELMUM VROLIK, virum clarissimum, auctorem habet, primum edita fuit in opere, cui titulus: *Bijdragen tot de Dierkunde, uitgegeven door het genootschap Natura Artis Magistra*, Dl. I, deinde Gallico sermone in Annalibus dictis: *Annales des Sciences Naturelles*, curante cl. A. BRULLÉ.)

Ontleedkundige nasporingen omtrent de hersenen van den *Chimpansé*. (Opus partim Kolkianum, partim Vrolikianum, quod invenitur in Dissertationibus, quae inscribuntur: *Verhandelingen der Eerste klasse van het Koninklijk Nederlandsch Instituut*, 3e reeks, Dl. I. 1849.)

Digitized by Google

Recherches d'Anatomie comparée sur le genre *Stenops* D'ILLIGER. (In his quoque disquisitionibus KOLKIUS laboris socium habuit VROLIKIUM. Editae sunt a. 1851 in opere supra commemorato, cui titulus: *Bijdragen tot de Dierkunde.*)

Waarnemingen over het maaksel van de menschelijke placenta en over haren bloedsomloop. (Observationes a. 1851 editae in Dissertationibus inscriptis: *Verhandelingen der Eerste klasse van het Koninklijk Nederlandsch Instituut*, 3e reeks, Dl. IV.)

Waarneming betreffende eene melancholica met neiging tot suicide. (Continetur haec observatio in opere periodico, quod inscribitur: *Nederlandsch Lancet*, 1851.)

Over den invloed van sterken drank op het ligchaam, 1851.

De mijlpaal, of wat hebt gij als afschaffers van sterken drank in 1850 gedaan?

Over den oorsprong en de vorming van *tubercula pulmonum.* (Commentariolum insertum operi periodico: *Nederlandsch Lancet*, 1852. In Anglicum sermonem transtulit doct. MOORE, a. 1858.)

De pathologie en therapie der krankzinnigheid beknopt uiteengezet. (Tractatus insertus operi, quod inscribitur: *Tijdschrift der Nederlandsche Maatschappij tot bevordering der Geneeskunde*, 1852. In Suecicam linguam transtulit doct. GRÄHS.)

Waarneming van eene atrophie van het linker halfrond der hersenen met gelijktijdige atrophie van de regterzijde van het ligchaam. (Haec observatio promulgata fuit in Dissertationibus saepius laudatis: *Verhandelingen der Eerste klasse van het Koninklijk Nederlandsch Instituut*, 3e reeks, Dl. V. 1852.)

Over de zelfstandigheid der ziel, gestaafd door eene beschouwing van den mensch in zijne verschillende ontwikkelingsperioden. (Disputatio edita in opere, quod inscribitur: *Album der Natuur*, 1852.)

Miscellanea: I. Ontdekking van uras calcis in de rokken der aderen bij arthritici. II. Vernaauwing van het darmkanaal door ingeslikte kersensteenen veroorzaakt. III. Verblijf van doorgeslikte voorwerpen in het darmkanaal zonder belangrijke nadeelige gevolgen. (Alterum et tertium horum commentariolorum, quae primum promulgata sunt a. 1853 in opere, quod inscribitur: *Nederlandsch Lancet*, a. 1859 Anglico sermone edita fuerunt in diario, cui titulus: *Dublin medical Press.*)

Over de vorming en verspreiding van kankercellen in den omtrek van kanker, en het gewigt hiervan bij het doen eener operatie. (Disputatio a. 1853 edita in saepius laudato: *Nederlandsch Lancet.*)

Een merkwaardig geval van broedermoord ten gevolge van kranzinnigheid. (Casus eodem libro promulgatus a. itidem 1853.)

Waarneming eener chronische maagkramp. (Etiam haec observatio continetur opere, quod inscribitur: *Nederlandsch Lancet*, 1854.)

Anatomisch-physiologisch Onderzoek over het fijnere zamenstel en de werking van het ruggemerg. (Hanc dissertationem, ab Academia Regia Scientiarum, quae Amstelodami floret, a. 1855 promulgatam, in Suecicam linguam transtulit cl. BONSDORF, in Germanicam una cum commentatione infra recensenda doct. THEILE, in Anglicam doct. MOORE.)

Digitized by Google

Myelitis met verschijnselen van borstaandoening. (Casus a. 1855 promulgatus in saepius laudato: *Nederlandsch Lancet.*)

Aanteekeningen over de veranderingen van den bloedsomloop bij het kind, en bijzonder over het moeijelijke der verklaring van de sluiting der aderlijke buis van ARANTIUS. (Tractatus publici iuris factus a Societate Ultraiectina in opere a. 1855 edito, quod inscribitur: *Aanteekeningen op de sectie-vergaderingen* cet.)

Over ontsteking als alleen uit slagaderlijk bloed voortspruitende. (Disputatio a. 1858 promulgata in opere, cui titulus: *Verslagen en Mededeelingen der Afdeeling Natuurkunde van de Koninklijke Academie van Wetenschappen.*)

Over de structuur der longen bij de vogels. (Tractatus anno itidem 1858 promulgatus in opere modo laudato.)

Over het fijnere zamenstel en de werkingen van het verlengde ruggemerg, en over de naaste oorzaak van epilepsie en hare rationele behandeling. (Hanc etiam commentationem, quam a. 1858 promulgavit Academia Regia Scientiarum, Amstelodami constituta, una cum ea, quam a. 1854 de fabrica subtiliori et functione medullae a spina dorsi nomen habentis edendam curaverat, ab ipso auctore denuo elaboratam, in Germanicam linguam transtulit doct. THEILE, in Anglicam doct. MOORE.)

Over de moederliefde in de natuur. (Dissertatio edita in opere, quod inscribitur: *Album der Natuur*, 1858.

Bijdragen over het eigenaardig maaksel van de lever bij den olifant. (Hunc tractatum a. 1861 promulgavit Academia Regia Scientiarum supra laudata in ipsius: *Verslagen en Mededeelingen*, *Afdeeling Natuurkunde.*)

Over de allantois en hare vorming en veranderingen in den mensch. (Commentatio ab eadem Academia in eodem opere a. 1862 promulgata.)

Opus posthumum:

Handboek van de Pathologie en Therapie der Krankzinnigheid door J. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, in leven Hoogleeraar te Utrecht. Uitgegeven door Jhr. F. A. HARTSEN, M. D. Utrecht 1863. (Hic liber etiam in Germanicam linguam translatus est.)

Digitized by Google

INDEX SCRIPTORUM,

QUAE EDENDA CURAVIT

HENRICUS EGBERTUS VINKE.

Specimen Hermeneutico-Theologicum, quo vaticinationes Iesu Christi de perpessionibus suis, morte et in vitam reditu illustrantur et vindicantur. Trai. ad Rhen. 1818.

Twee Leerredenen te Alkmaar, 1826.

Bidden tot God en waken tegen den vijand. Eene Leerrede over Nehem. IV: 9, uitgesproken op Zondag, den 17 October 1830, 3de druk.

Over den oorsprong van het voorhouden van eenige vragen aan de gemeente bij de voorbereiding voor het heilige Avondmaal, 1835. (Commentatio inserta operi, quod inscribitur: „*Archief voor kerkelijke geschiedenis, inzonderheid van Nederland, verzameld door* N. C. KIST en H. J. ROIJAARDS," T. VI. p. 1—40.)

Verhandeling ter beantwoording der vraag, vorderende: Eene verzameling en verklaring der gezegden van Jezus, betreffende zijn lijden en sterven tot vergeving der zonden en zaligheid enz., met den gouden eereprijs bekroond door het Haagsch Genootschap ter verdediging van de Christelijke Godsdienst in 1835, 's Gravenhage, 1837.

Oratio de germano Philosopho, optimo Theologo, publice habita d. 8 Dec. a. 1836, quum Theologiae professionem in Academia Rheno-Traiectina solenni ritu auspicaretur. Trai. ad Rhen., 1837.

Plegtige gedachtenisviering van het vijf en twintigjarig bestaan des Nederlandschen Bijbelgenootschaps in het algemeen, en van de Utrechtsche afdeeling in het bijzonder, op den 17 October 1839.

Oratio de Religionis Christianae in conformandis hominum animis iisque consolandis vi atque efficacitate, habita d. 26 m. Martii a. 1840, quum Academiae regundae munus solenni ritu poneret. (Hanc orationem in Belgicam linguam transtulit P. H. L. ROOS SCHREGARDUS, S. Min. Cand., addita effigie cl. HERINGA, cui parentaverat VINKIUS.)

Leerrede, gehouden den 9 Februarij 1840, na het afsterven van den Hoogleeraar J. HERINGA ELZ., en Toespraak bij zijn graf.

Digitized by Google

Levensberigt van wijlen den Hoogleeraar J. HERINGA ELZ., overgedrukt uit den Utrechtschen Studenten-Almanak van 1841.

Twaalf Leerredenen, 1842.

Antwoord aan de Redactie van het Tijdschrift: »Waarheid en Liefde," 1843.

IODOCI HERINGA EL. FIL., Disputatio de codice Boreeliano, nunc Rheno-Traiectino, ab ipso in lucem protracto. Edidit H. E. VINKE.

De eerste Geloofs-belijdenis der Nederlandsche Hervormde Kerk, 1843. (In opere, cui titulus: »*Kerkelijke Raadvrager en Raadgever*," T. IV. fasc. 2.)

IODOCI HERINGA EL. FIL., dum vivebat, Theologiae Doctoris et in Academia Rheno-Traiectina Professoris Ordinarii Opera exegetica et hermeneutica. Edidit, adiectis annotationibus, operis conspectu, indicibus et praemissa praefatione H. E. VINKE, 1845.

FREDERIK III. *Keurvorst van de Paltz.* (Tractatus insertus diario, quod dicitur *Evangelische Kerkbode*, 1845. n°. 28, 29.)

Libri symbolici Ecclesiae Reformatae Nederlandicae, cum Praefatione, 1846.

Leerrede over Gods handelwijze met volken, die Hem niet eeren, naar Rom. I: 28, 1848.

Leerrede over de medewerking des Heeren, met de prediking der Apostelen, naar Marc. XVI: 20ᵇ. 1849. (Unus e sermonibus, qui inscribuntur: »*Leerredenen, uitgegeven tot* »*bevordering van Evangelische kennis en christelijk leven*, 4de Jaargang, te Arnhem.")

De zendingszaak de zaak der Christelijke Gemeente. Opwekkende Rede, gehouden ter Algemeene Vergadering van het Nederlandsche Zendeling-genootschap, te Rotterdam den 16 Julij 1851.

Theologiae Christianae Dogmaticae Ecclesiae Reformatae Nederlandicae Compendium, 1853. (Alterius huius libri editionis Pars prior prodiit a. 1859, Pars altera a. 1860.)

Schetsen van Leerredenen over den Heidelbergschen Katechismus, naar onuitgegeven Schetsen van Prof. HERINGA, 1853.

Toespraak bij het graf van mijnen hoogeschatten Ambtgenoot en Vriend dr. H. J. ROIJAARDS, Hoogleeraar te Utrecht, overleden 2 Januarij 1854.

Toespraak bij het graf van den Hoog-Welgeboren Heer JAN HENDRIK BARON VAN LYNDEN VAN LUNENBURG, overleden 10 Januarij 1854.

Oratio de vera fidei Christianae notione, nostris praesertim temporibus, memoria tenenda et in omnium animis imprimenda, habita Traiecti ad Rhenum a. d. 26 m. Martii a. 1855, quum Magistratum Academicum iterum deponeret.

Leerrede over het Gode gewijde leven van onzen Heer in den hemel, naar Rom. VI: 10ᵇ. (Hic etiam sermo continetur collectaneis supra commemoratis, Arnhemiae editis a. 1856.)

Twee paragrafen uit den Introitus van Prof. HERINGA, met aanteekeningen verrijkt, 1857. (Edidit doct. A. PIERSON in opere, cui titulus: »*Tijdschrift voor Godgeleerdheid en Wijsbegeerte*. Eerste Jaarg., vijfde stuk.)

Het Nieuwe Testament, met ophelderende en toepasselijke aanmerkingen. Eerste deel. De Vier Evangelien. (Tweede vermeerderde en verbeterde uitgave 1856). Tweede deel. De Handelingen der Apostelen, de brief aan de Romeinen en de 2 brieven aan de Korin-

8

Digitized by Google

thiers. (Tweede vermeerderde en verbeterde uitgaven van de Handelingen der Apostelen en den brief aan de Romeinen.) Derde deel. De brieven aan de Galaten, Epheziers, Philippensen, Colossensen, Thessalonicensen, Timotheus, Titus, Philémon en de Hebreën; de algemeene Zendbrieven van JACOBUS, van PETRUS, van JOHANNES en de Zendbrief van JUDAS, 1847—1860.

De hooge, alles te bovengaande waarde der liefde, naar Kor. XIII. (Tractatus insertus opusculis, quae dicuntur: *Kleine stukjes van het Nederlandsche Zendeling-genootschap*, n°. 87), 1859.

Toespraak, gehouden den 5 December 1859, bij het graf van de Hoog-Welgeboren Jonkvrouwe CONSTANTIA JOHANNA BARONNESSE VAN LYNDEN VAN LUNENBURG, overleden 28 November 1859.

Toespraak, gehouden den 19 Junij 1860 bij het graf van de Hoog-Welgeboren Jonkvrouwe ELISABETH JOHANNA CHARLOTTA GERHARDINA MARIA BARONNESSE VAN LYNDEN VAN LUNENBURG, overleden den 14 Junij 1860.

De Empirie van Jezus Apostelen en verdere tijdgenooten met opzigt tot zijn persoon, zijne leer en daden, volgens de Evangeliën. (Commentatio edita in opere, quod inscribitur: »*Maandschrift voor Christenen* enz." 1860: in fasciculis nempe, qui mensibus Maii, Junii et Julii prodierunt.)

Geloof op gezag? Leerrede naar Matth. V: 22ª. 1861.

Godsdienstige beschouwing van den Watersnood, naar Ps. 93. Leerrede, gehouden 20 Januarij 1861.

Accedunt censurae et commentariola inserta operibus quae inscribuntur: »*Godgeleerde Bijdragen*" et »*Bijbelsch Dagboek*."

Digitized by Google

LUGD.-BAT. EX TYPOGRAPHEO I. C. DRABBE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google